

JORDANI BRUNI NOLANI

OPERA LATINE CONSCRIPTA

PUBLICIS SUMPTIBUS EDITA

RECENSEBANT

V. IMBRIANI et C. M. TALLARIGO

VOL. II.

CONTINENS:

1. De Umbris Idearum.
2. Ars Memoriae.
3. Cantus Circaeus.

NEAPOLI
APUD DOM. MORANO
MDCCCLXXXVI.

AVVERTENZA

Morto il Prof. Francesco Fiorentino, i continuatori della ristampa delle Opere latine di Giordano Bruno, Vittorio Imbriani e Carlo Maria Tallarigo, si tennero stretti ai criterî, onde l'illustre Filosofo e Letterato ne avea intrapreso questa Edizione novissima: criterî largamente esposti, nella sua lettera al Ministro Francesco De Sanctis, premessa al primo volume di dette opere, venuto fuori nel 1879-1884, e diviso in due parti. Anzi, massime per quel, che riguarda il punteggiamento e l'ortografia in genere, quei criterî eglino trassero a maggior rigore, che l'autore de' medesimi non tenne, essendo loro ferma opinione una ristampa, specie se di libro rarissimo, conservato a pochi esemplari, dover essere, possibilmente, un fac-simile. Morto anche l'Imbriani, stampati appena i dieci primi fogli del presente volume, il sottoscritto reputò sacro dover suo continuar la via tracciata da'due illustri amici e maestri.

Questo secondo volume, adunque, delle Opere latine del Bruno è la copia fedele dell'Edizione di Parigi del M. D. LXXXII: Edizione, come ognun sa, curata dallo stesso Giordano Bruno, il quale, in un *Pro Erratis, quæ intellectum turbant*, messo in fine del *De Umbris Idearum*, corresse alcuni errori di

stampa. E questi errori, naturalmente, sono stati emendati, ciascuno a suo luogo, nel testo della presente ristampa. Ma non si è fatto così, per altri pochi errori tipografici, non registrati nell'*Errata-Corrige* Bruniano: come, ad esempio, a pag. 25, l. 18, *edoremur*, che pare debba dire *edoceremur*; a pag. 42, l. 25, *inexis-tentemque*; a pag. 59, l. 14, *in timiusque*; a pag. 79, l. 15, *aptasunt*; a pag. 80, l. 11, *offerunti*, che, evidentemente, stanno, per isbaglio di stampa, in luogo di *inexsistentemque*, *intimiusque*, *apta sunt*, *offerunt*, e che il lettore correggerà da sè.

Così scrupolosa fedeltà all'Edizione originale potrebbe, forse, parere soverchia. Certo è, però, che chi non l'abbia veduta quell'Edizione (e, indubbiamente, non saranno pochi, tanto essa è rara), potrà dire, vedendo la presente, senza tema d'ingannarsi: « Questa ristampa è tale e quale; se ne eccettui i caratteri mutati, le sigle ommesse, la carta diversa, l'originale io l'ho dinnanzi ».

Quanto alle correzioni di stampa, si è adoperata la maggior diligenza, che si è potuta. Stampato il volume, riletto e collazionato col testo, non si è trovato altro errore che, a pag. 25, un *adsimilitam*, per *adsimilatam*. E se è questo solo, come è da augurarsi, il curatore superstite della ristampa del presente volume avrà ragione di chiamarsi contento dell'opera sua.

Napoli, 15 Giugno 1886.

CARLO MARIA TALLARIGO.

IORDANVS

BRVNVS NOLANVS

DE VMBRIS IDEARVM.

Implicantibus artem, Quærendi, Inueniendi, Iudicandi, Ordinandi, & Applicandi:

Ad internam scripturam, & non vulgares per memoriam operationes explicatis.

AD HENRICVM III. SERENIS. Gallor. Polonorùmque Regem, &c.

PROTESTATIO.

Vmbra profunda sumus, nè nos vexetis inepti.
Non vos, sed doctos tam graue quærit opus.

PARISIIS,

Apud Ægidium Gorbinum, sub insigne Spei, è regione gymnasij Cameracensis.

M. D. LXXXII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PH. IORD. BR. NOL. A-

MICO ET STVDIOSO

Lectori.

Est in sublimi posita
Dianæ in Chio facie,
Quæ tristis templum videtur intrantibus,
Hilaris exeuntibus.

Et littera Pythagoræ,
Bicorni acta discrimine,
Quæis trucem ostendit vultum dextri tramitis:
Finem largitur optimum.

Vmbrarum, quæ profundis
Emersere de tenebris,
In fine grata fiet, nunc asperior
Et facies, & littera.

HENRICO III SERE-
NISS. GALLORVM, PO-
lonorumque Regi, &c. Phi-
lotheus Iordanus Bru-
nus Nolanus.

S. P.

Quis ignorat (sacratissima Maiestas) principalia dona principalibus; principaliora maioribus: et maximis principalissima deberi? Nullus ergo ambigat, cur opus istud, tum nobilitate subiecti circa quod versatur; tum singularitate inuentionis, cui innittitur; tum grauitate demonstrationis, qua communicatur, inter maxima numerandum: in te œgregium populorum spectaculum, virtute prœstantis animi spectatissimum, celsitudine sublimis ingenij celeberrimum, ideòque clarissimorum, magnanimum, doctorùmque omnium obsequio iure colendissimum respexerit. Tuum est ipsum gratioso animo acceptare, magno fauore tueri, maturoque iudicio examinare: Cum eminenter generosus, potens, atque sapiens videaris.

VALE.

MERLINUS ART.

Est qui depinxit gallos gallinaceos,
Qui quoniam non est omnino imprudens:
Quò non sic grauius deprehendi possint
Tractus inepti, de inepto artista:
Seruulos ordinauit, et amiculos;
Per quos vult naturales procul abigi.

Hoc cum non ignoraueris, timeto
Dum verus gallus in pictos appropias,
Qui faciunt mirari auriculatos:
Ne importuno ministro abactus, doleas.

MERL. IVDICI SOBRIO.

Est fluuius in Phrygia dictus Gallus
De quo si bibas modicum,
Medetur malis corporis.

Si absorpseris insobriè, t' absorbebit
Adusque ut agas animum,
Non bibiturus iterum.

Sic etiam literæ sophiæ parum tactæ:
Ciuilem ad vitam conferunt,
Et condelectant plurimum.

Si nimium t' ingurgitas, te turbabunt,
Inqu' insaniam t' adigent,
Precipitemue gloriam.

Cum fueris igitur hactenus factus prudens,
Nè tantum damnum incurreres,
Magistrorum suffragio

Tantummodo sophiam placuit pitissare,
Tantum labris attingere,
Et naribus olfacere.

Propterea non bene facere te declaro,
Huc dum iudex acceleras,
Quò quasses Midæ auriculas.

MERL. APTO IVDICI.

Est quod canis accessit ad arandum;
Quod scandere astra vult Camelus, est quod
Tractante rana sorex tranat fluuium
Quod lenti properant ad venandum asini,
Quod tentat cuculus lupos aucupari,
Est quod concupiunt volare porci,
Est aliquid natura malè appositum.

Non autem est Organete hoc artis vicium.
Vel inuitantis ad effodiendum,
Seu faciendas expiscationes,
Siue tranandum pennis aptis aerem,
Vel docentis venari, & aucupari.

Si vos sentitis aptos effosores,
Et minimè non aptos ad volandum,
Expiscandum, venandum, & aucupandum,
Atque idcirco non ind' esse lamenta:
Concœdam vobis, concœdentibus quod
Intrastis labyrinthum sine filo.

PHILOTHEI IORDANI

BRVNI NOLANI DIALOgus prælib. Apologeticus pro vmbris idæarum ad suam memoriæ inuentionem.

INTERLOQUTORES:

HERMES. PHILOTHIMUS. LOGIFER.

HERMES. — *Perge liber. Neque. n. ignoras eundem solem; eamdemque artem. Idem sol huius gesta propalat in honorem, illius in contumeliam facta producit. Tristantur illo presente nocturnæ striges, bufo, basiliscus, bubo: solitaria, nocturna, & Plutoni Sacra. Gestiunt autem Gallus, Phœnix, Cignus, Olor, Aquila, Linx, Aries atque Leo. Ipso oriente operatores tenebrarum congregantur in cubilia, homo vero & animalia lucis exeunt ad opus suum. Hæc inuitat ad laborem; trudit illa in ocium. In ipsum lupinus & Elitropia conuertuntur, ab ipso vero herbæ atque flores noctis auertuntur. In nebulæ speciem rarefactos humores attollit, deturbat autem in terram condensatos in aquam. Aliis perennem atque continuam; aliis vicissitudinalem lucem impertitur. Hunc intellectus non errans stare docet: Sensus*

autem fallax suadet moueri. Hic terræ girantis parti huic expositæ oritur: occidit simul aliter dispositæ. Idem orizontes quos dicunt arcticos per differentias dextri atque sinistri apparenter circuit: aliis vero multis supernum atque infernum perlustrare videtur arcum. Hic terræ sui circuitus altum habenti maior apparet: imum vero tenenti (vt potè ab eodem magis elongatæ) minor. In aliis emicircuitum portionibus tardè; in aliis vero velociter absentatur. Hic terræ incumbenti in Austrum Borealior: in Boream vero properanti Australior efficitur. Rectum habentibus Orizonta, in lances æquales hinc inde latitudinem recipit; obliqum vero tenentibus in iniquas. Idem intra duos molis istius medios parallelos spacium incolentibus perpetuo commensuratas luci tenebras tribuit: cæteris autem tempore definito. Ipsi si diua tellus suo nos dorso enutriens, nostrum frontem obiiciat, obliquos eius radios nobis impetrabit: iis autem rectos quorum capitis verticem supposuerit. Ad ipsum quoque quædam admota mundi corpora, (quæ multi intelligunt esse animalia deòsque sub vno principe secundos) ipsius ab auge vel apogio (quod appellant) lumen conceptant; cæteris habentibus ipsum in opposito, vel mediis (vt vocant) latitudinibus & interuallis. Eiusdem totius luna (quam aliam intelligunt philosophorum plurimi esse terram) in suo ad illum conuerso hemisphærio liberum concipiente lumen: hæc illius globi interpositione tristis vmbratam ad eundem conuersam, auerso hemisphærio lunæ commonstrat faciem. Vnus ergo idèmque perpetuo Sol perseuerans atque manens, aliis atque aliis; aliter atque aliter dispositis;

alius efficitur atque alius. Haud secus solarem artem istam aliis, aliisque, aliam atque aliam futuram crediderimus.

PHILOTHIMVS. — *Quid est Hermes quod tecum ipse loqueris? qui nam libellus est, quem præ manibus habes?*

HERMES. — *De vmbris Idearum ad internam scripturam contractis liber est, de quo sum anceps; an prodire debeat, an perpetuo sub eisdem, in quibus olim latuit, tenebris perseuerare.*

PHILOTHIMVS. — *Cur hoc?*

HERMES. — *In signum siquidem (ut aiunt) sese effert ipsius author in quod non unius generis armati collimant Sagittarij.*

PHILOTHIMVS. — *Id quidem si omnibus esset formidandum atque precauendum, nemo vnquam digna pertentasset opera: nihil vnquam bonum atque egregium prodiisset in conspectum. Non cessat prouidentia deorum, (dixerunt Ægyptij Sacerdotes) statutis quibusquam temporibus mittere hominibus Mercurios quosdam; etiam si eosdem minime vel male receptum iri precognoscant. Nec cessat intellectus, atque sol iste sensibilis semper illuminare, ob eam causam quia nec semper, nec omnes animaduertimus.*

LOGIFER. — *Facile ipsis consenserim qui res eiusmodi minimè vulgandas esse censerent: Philotimum audio hac de re dubium, qui si ea auribus percepisset, quæ nos percepimus, certè potius hæc cremanda in ignem proiiceret, quam publicanda curaret. hæc n. doctori suo hactenus haud iucundam attulere messem: nunc ignoro quid nam sit quod in posterum sperare possit, præter*

n. perpaucos, qui hæc per se ipsos intelligere possunt, rectum de ipsis iudicium inferre minimè poterunt.

PHILOTHIMVS. — *Audis quæ dicit iste?*

HERMES, — *Audio, sed vt plus audiam, inter vos ipsos discutite.*

PHILOTHIMVS. — *Disceptabo igitur tecum Logifere & illud primum dixerim: dictum tuum nullius esse persuasionis quin potius tuæ rationis neruus oppositam valeat firmare sententiam. li. n. pauci, qui huius inuentionis intelligentiam fuerint assequuti, de quorum numero ego Hermèsque sumus: non modicis efferrent laudibus: qui verò ipsum minime intellexerint, nec laudare poterunt, nec vituperare.*

LOGIFER. — *Dicis quod esse debet: non quod erit, est, atque fuit. Multi cum non intelligant, ob id ipsum quod non intelligunt, insuper & ex iniquo, quo aguntur animo, multas aduersus authorem ipsum & artem adglomerant calumnias. Nonne auribus tuis doctorem Bobum audisti, qui nullam dixit esse memoriæ artem: sed eam consuetudine tantum & crebra excursuum repetitione, quæ fit visa multoties reuidendo, auribusque percepta multoties recipiendo, comparari?*

PHILOTHIMVS. — *Huic si cauda foret, cercopitecus erat.*

LOGIFER. — *Quid respondebis Magistro Anthoc, qui eos, qui præter vulgares edunt memoriæ operationes, putat magos vel energumenos vel eiusce generis alicuius speciei viros? Vides quantum in litteris insenuerit ille.*

PHILOTHIMVS. — *Hunc non dubitauerim esse nepotem illius asini qui ad conseruandam speciem fuit in Archa Noe reseruatus.*

LOGIFER. — *Et magister Roccus artium et medicinæ archymagister, qui Empyricam mauult quam doctrinalem memoratiuam , nugas putaret ista potius, quàm artificiosas præceptiones.*

PHILOTHIMVS. — *Non ultra matulam.*

LOGIFER. — *Dixit unus ex antiquis doctoribus hanc artem omnibus esse non posse peruiam preterquam iis qui memoria pollent naturali.*

PHILOTHIMVS. — *Depontana sententia.*

LOGIFER. — *Pharfacon iuris utriusque doctor & philosophus grammeus sentit hanc artem grauare potius quam releuare, nam ubi sine arte recolendæ sunt res : iam cum arte obligamur recolere res, locos, & imagines plurimas, quibus nulli dubium est magis memoriam naturalem confundi & implicari.*

PHILOTHIMVS. — *Crysippi acumen , & sententia ferreo ingentique pectine carminanda.*

LOGIFER. — *Dixit doctor Berling ex istius oratione etiam doctissimos, demetere nihil posse, credo quia nil ipse demetit.*

PHILOTHIMVS. — *Sub illis echinis ulla ne castanea?*

LOGIFER. — *Magister Maines & si omnibus placeat inquit, mihi nunquam placebit.*

PHILOTHIMVS. — *Nec vinum quod nunquam gustabit.*

LOGIFER. — *Ille, quem nosti amicum tuum, quid putas hac de re, sentiet?*

PHILOTHIMVS. — *Sepiæ atramentum additum lucernæ facit homines Æthiopa videri; vitiata quoque liuore mens turpia iudicat etiam aperte pulchra.*

LOGIFER. — *Excelsum quoque Magistrum Scoppet inter*

huius nostræ tempestatis, medicos facilè principem, ferunt dixisse authori: ut suam illi memoriam ostenderet priusquam artem, quod dubium est an dedignans, an impotens ille præstare noluerit.

PHILOTHIMVS. — *Si dixisset illi ostende mihi urinam tuam priusquam solidiora contempler excrementa: fortasse morem illi gessisset author noster, hospitalius enim & urbanius, & pro sua dignitate, suo officio, & arte conuenientius illum excepisset.*

LOGIFER. — *Quid dicemus de Magistro Clyster doctore medico quem non fas est proxime dicto cedere, nihil n. differt ab eodem qui ex Aknaldo & Tiberide vult magis super obliuiosum linguam vpupæ impositam, tenacissimam ferenti memoriam conferre.*

PHILOTHIMVS. — *Dixit Aristoteles. cytharizando fit cytharœdus. Si quis huic miserrimo (ipso quod habet extracto) aliud superimposuerit cerebrum, forsitan medicando fiet medicus.*

LOGIFER.—*Dixit quoque doctor Carpophorus ex Proculo & Sabino itacense Mentis & memoriæ sedem tripliciter distinctam. Inter pup[p]im enim atque proram pinea media est: quæ cum memoria quippiam repetere instamus patefacta; à prora ad puppim spiritui animali aditum præstat. Porro nunquam animalis spiritus nisi serenus, lucidus, & clarus pertransit. Hinc immodica frigid[it]ate obtusus memoriam nostram hebetem reddit atque languidam. Quæ quidem frigiditas si fuerit cum siccitate coniuncta: immodicas vigilias afferet et insomnia: si cum humiditate lethargum. Ad quæ propulsanda, sunt per artem hæc excogitata. Exercitium sensus reuocans & excitans,*

& spiritus turpi vecordia, & ocio consopitos quasi expergefaciens. Moderatus coitus. Propulsata tristitia & voluptate lætitia revocata. Meatuum corporis omnium purgatio. Eburneo pectine asperóque panno capitis confricatio. Leuiorum, vel lymphatorum vinorum vsus, ne venæ hiantes vini vehementia sanguinem exurant. Stomachi rebus naturaliter vel artificialiter stipticis occlusio, ne fumositas è stomacho cibi ebullitione euaporans, mentem ingeniumque obscurans somnum excitet. A frigidis humidisque cibariis vt à piscibus in genere, cerebro, atque medullis abstinentia, non minus quam ab acutis atque fumosis porris raphanis, alleis, cæp[is] quæ igne non fuerint digesta. Rerum aromaticarum usus. Capitis atque pedum cum aquæ decotione, in qua Melissa, Laurifolia, Fœniculi, Camomillæ, Cannæ similiaque ferbuerint, abstersio. Pythagorica exercitatio quæ nocturno fiat crepusculo, vtpotè memoriæ menti ingenióque maxime conferens. Hæc sunt quæ memoriam possunt releuare, eaque quæ Democritus Archigene[s] Alexander & Andronicus Peripateticus literarum monumentis tradidere, non artes istæ nugatoriæ, quæ nescio quibus imaginibus & figuris solidam seiactant conflare memoriam.

PHILOTHIMVS. — *Alienum sermonem, ruditu proprio conclusit; Psithacum egit venerabilis doctor, & Asinum.*

LOGIFER. — *Dixit Magister Arnophagus iuris legumque peritus, & apprime probatus, plurimos esse doctos qui eam non habent peritiam, haberentque si qua esset.*

PHILOTHIMVS. — *Puella ratio non adhuc dentiens: propterea denti frangibulum non adducimus.*

LOGIFER. — *Artem Tullij, Thomæ, Alberti, Alulidis, aliorumque obscurorum authorum se vidisse, & ex eisdem nullum se elicere potuisse succum protestatur Doctissimus Theologus & subtilissimus literarum patriarcha magister Psicoteus.*

PHILOTHIMVS. — *Iudicium primæ tonsuræ.*

LOGIFER. — *Et vt vno verbo tandem omnia complectar: varij variè sentiunt, diuersi diuersa dicunt, quot capita tot sententiæ.*

PHILOTHIMVS. — *Et tot voces. Hinc corui crocitant, cuculi cuculant, lupi vlulant, sues grundiunt, oues balant, mugiunt boues, hinniunt equi, rudunt asini. Turpe est dixit Aristoteles solicitum esse ad quemlibet interrogantem respondere, boues bobus admugiant; equi equis adhinniant, asinis adrudant asini; nostrum est colloquio aliquid circa istius hominis inuentionem pertentare.*

LOGIFER. — *Recte quidem. Placeat igitur Hermeti librum apperire, ut ipsius authoris sententias consideremus.*

HERMES. — *Libentissime faciam. En operis prophœmium lego.*

Neminem (inquit) latere existimo multas memoratiuas artes ab aliis editas, quarum omnes atque singulæ iisdem prorsus canonibus vtentes, in eadem ferme difficultate versantur: qua de re consultum fuit nobiscum, vt potius inuentionis istius fruges proponeremus, quibus grauius, facilius, atque expeditius negocium adeò illustre, pro arte tam deside-

rabili consequenda tractaretur. Diuturnam exercitationem antiquiores institutiones perquirendo: ab earum prosecutione atque studio ingenia fœliciora importunius abigebant: minus. n. durantia & (vt rem apertius insinuem) magis impatientia, quo magis subtilia promptioraque sunt ingenia, quorum quibusdam magis omnia tangere, quam vnum apprehendere consulitur.

PHILOTHIMVS. — *Illud quod mihi arridet de authore isto est quod non se facit de eorum grege qui aliorum sententias hinc inde in vnum colligentes, se pro immortalitate consequenda aliorum impensa in numerum authorum pro posteritate laborantium referunt; & vt plurimum eorum se constituunt doctores, quorum nullam prorsus habent intelligentiam atque rationen: iique multoties facere non possunt: quominus (postquam pellem leonis ex aliorum inuentis vtcumque sibi adaptauerint) in propriam crebrius, & tandem irrumpant vocem, quando aliquid ex eorum delumbi Marte (quia facile est inuentis addere) eiaculantur, vel de penuria stupidi sensus egurgitant. Illa illa sunt arietes infantiarum, tormenta errorum, bombardæ ineptiarum, & tonitrua coruscationes, fulgura, & tempestates magnæ ruditatum.*

LOGIFER. — *Non sentis idem de carminilegis & versificatoribus nostris qui alienis inuentionibus, hemiuersibus & versibus, pro suis se nobis venditant poetis?*

PHILOTHIMVS. — *Mitte poetas. sicut. n. pro locis scimus*

longas regibus esse manus, ita & altæ longæque pro locis atque temporibus poetis solent esse voces.

LOGIFER. — *De versificatoribus dixi, non poetis.*

PHILOTHIMVS. — *Benè, pauci igitur, aut nullus pro se dictum putabit. Sed hæc quid ad rem nostram? Sufficit quod in proposito authorum artis istius fuerit intellectum.*

LOGIFER. — *Non de poetis.*

PHILOTHIMVS. — *Sed cepta prosequamur legas.*

HERMES

Hinc (ait) cum animum meum ad obsequendum quibusdam amicis meis appulerim post diuersi generis alias memoriæ artes, quas priuatim ad diuersos dreximus, & iuxta vias varias aliis pro eorum dignitate atque captu communicauimus: hanc ex principiorum virtute, quæ continentur in ea aliis omnibus præferendam, & ex deductis nulli posthabendam compilauimus. In qua nimirum artificium facilé & scientiam pro praxi minimé laboriosam polliceor, librum veró, cum suis sententiis minimé omnibus peruium, contra eorum consuetudinem qui libros de hac arte faciles, atque breues: ipsam veró difficilem, atque prolixam tradidere: istam eruditorum pauci intelligant, intelligentibus autem omnibus vsu veniat: sitque quam omnes siue rudes, siue eruditi, facilé scire, & exercere possint: quàmque sine doctore, tantum in metaphysicis & doctrinis Platonicorum bene versati possint intelligere: habet enim illud ars ista, quia cum hoc quod complectitur terminis arduis & speculatiuarum facul-

tatum præ suppositiuis, poterit tamen quibuscumque (dummodo prorsus hebetis non sint ingenii) declarari, continet enim propriissimos terminos, & rebus signifficandis maximè accommodatos.

Ars ista non simplicem ad memoriæ artem confert: sed & ad multarum facultatum inuentionem viam aperit & introducit. Propterea meminerint quibus dabitur eius interiora percipere: vt eam pro maiestate non cuicumque sine delectu communem faciant: eiusdemque canones singulis eorum quibus est communicanda pro meritorum capacitatisque facultate, intensius, atque remissius elargiantur expliciti.

Super hæc nouerint in quorum manus ars ista inciderit: nos eius non esse ingenij, vt determinato alienæ philosophiæ generi simus adstricti: neque vt per vniuersum quamcumque philosophandi viam contemnamus. Neminem quippe eorum qui ad rerum contemplationem proprio innixi ingenio, aliquid artificiose methodicéque sunt moliti, non magnifacimus. Non abolemus Pythagoricorum mysteria: non paruifacimus Platonicorum fides: & quatenus reale sunt nacta fundamentum Peripateticorum ratiocinia non despicimus. Ipsum ea de causa dicimus: vt eorum curam attenuemus qui proprio ingenio aliena volunt ingenia metiri: Cuiusmodi est infortunatum genus illud, quod cum diutius in optimis philosophis elaborauerit: non eó vsque proprium promouit animum, ne vsque in finem cum proprio careat ingenio: semper vtatur alieno; cui tamen magis quám iis qui propriam ignorantes paupertatem audent non audenda; compatiendum est & quadam ex parte (nisi ex incuria remaneat) est lau-

dandus. Isti similes cum fuerint Aristotelico repleti spiritu (vt iam vocales & progressiuos libros liceat videre. vbi audierint vel legerint. De vmbris Idearum: iam verbo hærebunt dicentes, idæas esse somnia, vel monstra. quas esto concesserimus, quæritur an quod rerum naturæ conformatur, conuenienter dicatur currere sub vmbris idæarum? Rursum vbi incurrerint locum ratiocinantis animae. Iordane (inquient) iam animam texere dicis vel filare. Similiter & in aliis quibusdam buccas inflantes, per internum quendam hostem á fructus istius disciplinæ participatione diuertentur. Quibus hoc manifestari volumus. Nos quoque in iisdem cum minus saperemus versasse animum, tunc. n. (vt par erat) fide ad scientias captandas vtebamur. Nunc vero vbi superum beneficio, acquisitis & inuentis ad vlteriores proprios actus vti possumus citra contradictionis iustam notam: Si commodus est Platonicus terminus & intentio commoda: acceptatur. Si quoque Peripateticæ intentiones ad maiorem rei in hac arte faciunt expressionem; fideliter admittuntur. De aliis similiter iudicetur. Non enim reperimus vnum artificem qui omnia vni necessaria proferat. Non idem, inquam, Galeam, scuthum, ensem, hastilia, vexilla, timpanum, tubam, cæteraque omnia militis armamenta conflabit, atque perficiet. Ita maiora, aliarum inuentionum tentantibus opera non solius Aristotelis Platonisque solius officina sufficiet: Quandoque etiam (ipsum queraro si consuetis vti videbimur terminis:) illud ideo est non quia non consuetas per eos explicare cupimus intentiones. Per vniuersum autem diuersis variorum phi-

losophorum studiis vtimur, quatenus melius propositum inuentionis nostræ insinuemus. Vnde nihil est quod faciat quominus periti in istis philosophandi generibus per se ipsos facilè (dummodo animum aduertant) hanc, & alias artes nostras intelligere valeant.

Artem istam sub duplici forma tractamus, atque via: quarum altera est altior & generalis tum ad omnes animi operationes ordinandas, tum etiam est caput multarum methodorum, quibus tanquam diuersis organis artificiosa potest pertentari & inueniri memoria: Et consistit ipsa primò in triginta intentionibus umbrarum. Secundo in triginta conceptibus idearum. Tertio in pluribus complexionibus, quæ fieri possunt ex intentionibus & conceptibus per industriosam adaptationem elementorum primæ rotæ ad elementa secundæ. Altera quæ sequitur, est contractior ad certum memoriæ per artificium comparandæ genus.

TRIGINTA INTEN-
TIONES VMBRARVM

INTENTIO PRIMA. A.

Vnico igitur annuente deo, propiciisque diis sub ipso altissimo principe magnis, ita incipimus.

Hominis perfectionem, & melioris quod in hoc mundo haberi possit adeptionem insinuans Hebræorum sapientissimus; amicam suam ita loquentem introducit. SVB VMBRA ILLIUS QVEM DESIDERAVERAM SEDI. Non enim est tanta hæc nostra natura ut pro sua capacitate ipsum veritatis campum incolat, dictum est enim. Vanitas homo viuens. Vniuersa vanitas. & id quod verum est atque bonum, vnicum est atque primum. Quî autem fieri potest vt ipsum cuius esse non est propriè verum, & cuius essentia non est propriè veritas; efficaciam & actum habeat veritatis? Sufficiens ergo est illi atque multum: vt sub umbra boni, verìque sedeat. Non inquam sub umbra veri boníque naturalis atque rationalis (hinc enim falsum diceretur atque malum) sed Methaphysici, Idealis, & supersubstantialis: vnde boni & veri pro sua facultate particeps efficitur animus, qui & si tantum non habeat vt eius imago sit; ad eius tamen est imaginem: dum ipsius

animæ diaphanum, corporis ipsius opacitate terminatum, experitur in hominis mente imaginis aliquid quatenus ad eam appulsum habet: in sensibus autem internis & ratione, in quibus animaliter viuendo versamur: vmbram ipsam.

INTENTIO SECVNDA. B.

Hoc ipsum cum consideraueris: illud quoque tibi occurrat velim: vt á tenebrarum ratione seiungas vmbram. Non est vmbra tenebrae: sed vel tenebrarum vestigium in lumine. Vel luminis vestigium in tenebris. Vel particeps lucis & tenebræ. Vel compositum ex luce & tenebris. Vel mixtum ex luce & tenebris. Vel neutrum á luce & tenebris, & ab vtrisque seiunctum. Et hæc vel indè quia non sit plena lucis veritas, vel quia sit falsa lux. Vel quia nec vera nec falsa, sed eius quod veré est aut falsé, vestigium, &c. Habeatur autem in proposito. vt lucis vestigium, lucis particeps, lux non plena.

INTENTIO TERTIA. C.

Porró cum bifariam accidat intelligere lucem; & in regione substantiæ, & in regione eorum quæ circa substantiam, vel in substantia consistunt (vnde secundum duplicem sumitur vmbra oppositionem) illud te meminisse oportet; lucem quæ circa substantiam est tanquam vltimum eius vestigium á luce quæ primus actus dicitur proficisci. Umbram quoque quae est circa substantiam ab umbra quae ex substantia dicitur

emanare. Ipsa est primum subiectum quod & materiam appellant phisici nostri: Eius omnia participia cum puram non recipiant lucem: sub vmbra lucis esse & operari dicuntur.

INTENTIO QVARTA. D.

Consequenter te non prætereat quod cum vmbra habeat quid de luce, & quid de tenebris. Duplici aliquem accidit esse sub vmbra. Vmbra videlicet tenebrarum & (vt aiunt) mortis: quod est cum potentiæ superiores emarcescunt, & ociantur, aut subseruiunt inferioribus. Quatenus animus circa vitam tantum corporalem versatur, atque sensum. Et vmbra lucis, quod est cum potentiæ inferiores superioribus adspirantibus in æterna eminentioraque obiecta subiiciuntur, vt accidit in cœlis versanti qui spiritu irritamenta carnis inculcat. Illud est vmbram incumbere in tenebras: hoc est vmbram incumbere in lucem. In Orizonte quidem lucis & tenebrarum, nil aliud intelligere possumus quam vmbram. Hæc in orizonte boni & mali: veri & falsi. Hic est ipsum quod potest bonificari, & maleficari, falsari, & veritate formari: quodque istorsum tendens sub istius, illorsum veró sub illius vmbra esse dicitur.

INTENTIO QVINTA. E.

Vmbras eas in proposito maximé consideramus quæ sunt appetituum, & cognoscitiuæ facultatis obiecta, sub specie veri boníque concepta, quæ sensim ab vnitate illa supersubstantiali decedentia, per crescen-

tem multitudinem, in infinitam multitudinem (vt Pythagoreorum more loquar) progrediuntur: quæ quantum ab vnitate recedunt, tantum ab ipsa quoque veritate elongantur. Fit enim ab ipso superessentiali ad essentias ab essentiis ad ipsa quæ sunt, ab iis ad eorum vestigia, imagines, simulachra, & vmbras excursus:. tum versus materiam vt in eius sinu producantur; tum versus sensum, atque rationem vt per eorum facultatem dinoscantur.

INTENTIO SEXTA. F.

Vmbra in materia seu natura, in naturalibus ipsis, in sensu interno atque externo, vt in motu & alteratione consistit. In intellectu veró, intellectumque consequente memoria est vt in statu. Ideo sapiens ille viraginem supra naturalem & suprasensualem quasi notitiam consequtam: sub illius primi veri boníque desiderabilis vmbra sedentem inducit. Quæ sessio seu status quia in naturaliter degentibus non multum perseuerat (mox n. atque statim sensus isti nos insiliunt atque deturbant, ipsique nostri duces phantasmata nos circumueniendo seducunt) sessio illa potius præterito absoluto vel inchoato, quam præsenti tempore designatur. Dicit. n. sub vmbra sedi, vel sedebam.

INTENTIO SEPTIMA. G.

Cum veró in rebus omnibus ordo sit atque connexio, vt inferiora mediis & media superioribus succedant corporibus; Composita simplicibus, simplicia simpli-

cioribus vniantur. Materialia spiritualibus spiritualia prorsus in materialibus adhæreant. Vt vnum sit universi entis corpus, vnus ordo vna gubernatio, vnum principium, vnus finis, vnum primum, vnum extræmum. Cumque (vt non ignorauerunt Platonicorum principes) demigratio detur continua á luce ad tenebras (cum mentium quædam per conuersionem ad materiam, & auersionem ab actu; subeunt naturam, atque fatum) nihil impedit quominus ad sonum cytharæ vniuersalis Apollinis ad superna gradatim reuocentur inferna: & inferiora per media, superiorum subeant naturam: quemadmodum & sensu constat terram in aquam, aquam in aerem, aerem in ignem rarefieri: sicut ignis in aerem, aer in aquam, aqua in terram densabatur. Ita generaliter videmus in iis quæ mutantur, motum statu, & statum motu semper terminari. Quod & in ipso cœlo semper esse atque fieri optimé Peripateticorum quidam considerauere : cum quippé ipsum habere actum admixtum cum potentia dicunt (quamuis & aliæ sint mixtionis istius rationes) intelligunt eius motum esse in fine ad præteritum, & in principio ad futurum. Quidquid ergo sit de alia descensus specie de qua Theologorum prudentia decernat: illud obnixé nobis est intentandum, vt pro egregiis animi operationibus naturæ schalam ante oculos habentes, semper á motu, & multitudine, ad statum & vnitatem per intrinsecas operationes tendere contendamus : quod cum pro facultate præstiterimus , pro facultate quoque diuinis multitudini mirabilibus operibus conformabimur. Ad ipsum rerum præsignata connexio, & connexorum consequentia nos confortet & adhortetur.

Nouit quidem & docuit antiquitas quomodo proficiat discursus hominis á multis indiuiduis ad speciem, á multis speciebus ad vnum genus ascendens. Insuper quomodo infima intelligentiarum per omnes formas intelligat species distincté, inferioris distincté per plures atque multas formas ipsas omnes species concipiunt; superiores per pauciores, suprema per vnam , & ipsum quod est supra omne non per formam aliquam. Porro si antiquitas nouit quomodo proficiat memoria, á multis speciebus memorabilibus, ad vnam multorum memorabilium speciem se promouendo: ipsum certé non docuit.

INTENTIO OCTAVA. H.

Ad proximius quidem superius proximum inferius per aliquos gradus contracta similitudine promouetur. quos certé gradus cum nactum fuerit omnes: iam non simile: sed idem cum illo dicendum erit. Quod sané quomodo fiat per ipsum edoremur ignem: qui aquam non attrahit nisi in calore & raritate adsimilitam. Per communem igitur similitudinem ab vmbris datur accessus ad vestigia, á vestigiis ad speculares imagines, ab istis ad alia.

INTENTIO NONA. I.

Quoniam veró quod est simile simili; est etiam simile eidem similibus sive per ascensum, siue per descensum, siue per latitudimen: Hinc accidit vt (infra suos limites) natura facere possit omnia ex omnibus, &

intellectus, seu ratio cognoscere omnia ex omnibus. Sicut inquam materia formis omnibus informatur ex omnibus, & passiuus (quem vocant) intellectus formis omnibus informari potest ex omnibus: & memoria memorabilibus omnibus ex omnibus. quia omne simile simili fit, omne simile simili cognoscitur, omne simile simili continetur. Porro simile remotum ad suum distans, per simile medium sibìque proximum tendit.

Hinc herbæ forma spoliata materia, non immediaté formam induitur animalis istius, sed formis Chili, sanguinis, & seminis mediantibus. Hinc qui nouerit apta extræmorum media: & naturaliter & rationaliter omnia poterit ex omnibus elicere.

INTENTIO DECIMA. K.

Cœterum. Similitudinem illam quæ cum æqualitate currit; & vniformitati (quam æquiparantiam appellant) consonat: in proposito sensu alium operationum, siue ad internos, siue ad externos referantur sensus, inutilem & malè officiosam habeto. Fit enim vt simili caliditate affectum nec similem, nec infra illius similitudinis gradus consistentem sentiat: sed eam quæ existentem in sensitiuo subiecto excellit. Hinc qualem redigere in praxim debeas similitudinem præuideto, ne quæ sita ab adeptis quominus ingredi possint repellantur.

INTENTIO INDECIMA. L.

Considera, mundum istum corporeum partibus eius omnino similibus existentibus, formosum esse non potuisse. In variorum ergo connexione, partium pulchritudo manifestatur: & in ipsa varietate totius pulchritudo consistit. Hinc rei vmbratilis visio est visionum imperfectissima: quia quod imago cum varietate demonstrat: vmbra quod est infra extrinsecæ figuræ terminos vt plurimum etiam ementitos, quasi sine varietate profert. De vmbra dixerim quatenus vmbra est: non autem quá talis quam in proposito recipimus.

INTENTIO XII. M.

Verum Anaxagoricum Chaos est sine ordine varietas. Sicut igitur in ipsa rerum varietate admirabilem concernimus ordinem. Qui supræmorum cum infimis, & infimorum cum supremis connexionem faciens: in pulcherrimam vnius magni animalis (quale est mundus) faciem, vniuersas facit conspirare partes. Cum tantum ordinem tanta diuersitas: & tantam diuersitatem tantus ordo requirat. Nullus enim ordo vbi nulla diuersitas extat reperitur. Vnde primum principium nec ordinatum, nec in ordine licet intelligere.

INTENTIO XIII. N.

Certé si quemadmodum indissolubilis concordia fines primorum connectit principiis secundorum; & cal-

cem eorum quæ antecedunt capitibus eorum quæ proximé sequntur: cathenam illam auream quae é cælo fingitur ad terram usque tensa contrectare valebis: sicut è cœlo per te potest factus esse descensus, facilé ad cœlum per ordinatum ascensum remeare valebis. Per hanc artificiosam connexionem magnum experiri possumus memoriæ releuamen: quæ valet etiam nullam ad inuicem per se retinentia consequentiam memoriæ ordinata presentare. Ipsum manifestatur in subsequenti carmine, vbi cum intelligatur Aries agere in Taurum, huncque motum diuerso actionis genere, agere in Geminos. Et inde moti varia, consequentíque actione deferantur in Cancrum. similitérque deinceps in aliis: eueniet vt ex intuitu vnius, alterius mox inmediatéque consequentis occursum collucremur.

Dux gregis, armenti regem sublatus in iram
In geminósque pedes, impete fronte ferit.
Vindex menté vacans hinc Taurus *concitus, ictu*
Irruit in Geminos *impaciente fratres.*
Germanos iuuenes affines protinus vndæ
Excipiunt. Cancer *rosida prata petit.*
Repens obliquó lympharum Cancer alumnus,
Villosi vultum forte Leonis *adit.*
Percitus inde Leo crinitos surgit in harmos
Vnde vagans rapidæ visa Puella *feræ est.*
Hanc petit: illa fugit: quæ gressu insana fugaci
Librantem *incurrit persica lance virum.*
Æstuat hic, cupidis quem dum complexibus hæret:
Attriti Vermis *cuspis adunca ferit.*

Formidans lætum medicas dum currit ad artes
Poné Sagittiferum *sentit adesse virum.*
Qui modo stuprata, quam credit virgine læsus
Quo petit hunc iaculo, vulnerat ecce Caprum
Vt primum intrusum ferrum persensit iniqué
Effugit in rapidas præcipitosus Aquas:
Sic caper infœlix á gurgite tractus aquarum;
Insueta inclusis Piscibus *esca datur.*

INTENTIO XIIII. O.

Ascensus quidem qui fit per connexa atque concathenata, in proposito vmbrarum idealium: non est per cathenam similibus constantem annulis, ratione quæ concipitur ex proximé dictis, atque deinceps enunciandis. Nec huius cathenæ annulus esse debet vmbra sub qua intelligitur Leuiathan dormire: non inquam vmbra abducens á luce; sed conducens ad lucem, quæ etiam si non sit veritas: est tamen á veritate, & ad veritatem, ideóque in ipsa non credas esse errorem sed veri latentiam.

INTENTIO XV. P.

Non igitur confundens vmbrarum significatum per occultam omonimyam, omnino hoc stultitiæ genus incurras, vt sine delectu de vmbris sentias, intelligas, & decernas, opponitur enim ea quam protegunt aliæ vmbræ (pro qua dicitur. Protegunt vmbræ vmbram eius) ei quæ eleuatur super corporum altitudinem in confinio intelligentiarum. Pro qua dicitur operuit mon-

tes vmbra eius. A qua ea quæ producunt in nobis intelligentiam & memoriam, deducuntur & emanant: Et in quam tandem scandentia versus lucem terminantur. Hanc, vel huic similem figura tam habent, qui Cabalistæ dicuntur, quia velamen. quod erat Typicé seu figuratiué in facie Mosis: figuraté veró in facie legis: non erat ad deceptionem; sed ad ordinaté promouendos hominum oculos, in quibus accidit læsio si repenté de tenebris in lucem promoueantur.

Neque enim natura patitur inmediatum progressum ab vno extræmorum ad alterum: sed vmbris mediantibus, adumbratóque lumine sensim. Naturalem videndi potentiam perdidere nonnulli de tenebris in repentinam lucem prodeuntes tantum abest vt perquisito potirentur obiecto. Vmbra igitur visum preparat ad lucem. Vmbra lucem temperat. Per vmbram diuinitas oculo esurientis, sitientísque animæ caliganti, nuncias rerum species temperat, atque propinat. Eas igitur vmbras quæ non extingunt: sed seruant, atque custodiunt lucem in nobis; & per quas ad intellectum, atque memoriam promouemur, atque perducimur. recognosce.

INTENTIO XVI. Q.

In suo genere dixit Theologus nisi credideritis, non intelligetis: & in suo genere confirmant philosophi ex concessis positisque iis quorum fides esse dicitur (quæ fides apud Pythagoricos erat de non demonstratis, apud Peripateticos de non demonstrabilibus, apud Platonicos de vtrisque) aucupandas esse scientias: & ex

iis quæ in virtute, & radice, & implicatione quadam continent, ad formarum explicationem, & per naturalem, & rationalem cursum nobis est progrediendum. Natura dat inuolutas species, antequam tradat easdem explicatas. Similiter Deus, similiter & artes quæ diuinum, & naturalem ordinem pro dignitate persequntur. Si quibus veró arduum videtur in vmbris exerceri, & vanitatis suspectum si per eas ad lucem non pateat accessus: norint talem defectum non esse ab vmbris. Norint etiam sat expedire vel inuolutum tenere, quod nudum non capias.

INTENTIO XVII. R.

De vmbris physicis, sunt ex arboribus & herbis quæ fugant serpentes, & mitiora fovent animantia: sunt & contrariæ iis. De vmbris autem idealibus (si veré sint ideales)cum omnes referantur ad intellectum & ad purgatum sensum interiorem non sunt quæ maximé non conducant si per eas fiat ascensus, & non dormiatur sub eisdem.

INTENTIO XVIII. S.

Non dormies si ab vmbris physicis inspectis ad proportionalem vmbrarum idealium considerationem promoueris. Si ab oculis nostris elongatum corpus ad distantem lucem accedat: minoratur illius ad oculos nostros vmbra: sed ipso corpore magis á luce recedente, minor ab illo transfunditur vmbra, visuíque maius affertur impedimentum.

INTENTIO XVIIII. T.

Maiora intensione lucis & densitate corporis, vmbra perspicacior efficitur: expressior inquam redditur, atque formatior, quod inde est, quia in densitate, & raritate; continuitate & discontinuitate corpus imitatur. At vero talis imitatio per corpus detegitur.

INTENTIO XX. V.

Vmbra motum corporis simul persequitur atque lucis. Mouetur corpus? Vmbra mouetur. Mouetur lux? Vmbra mouetur. Mouetur vtrumque? Vmbra mouetur. Contra physicas obseruantias idem subiectum (subiectum inquam motus) simul diuersis, contrariisque subest motionibus. Quid. n? nonne necessario motum corporis ad lucem sequitur vmbra? & motum lucis ad corpus sequitur vmbra? numquid soluitur hæc necessitas amborum concursu cum oppositis mouebuntur lationibus? Porrò aduerte quemadmodum ad lucis motum mouetur vmbra quasi fugiens; ad corporis autem motum quasi sequens: vnde non videtur implicari contrarietas, sed concordantia in fuga vnius, & prosequutione alterius oppositi, atque contrarij. Cæterum quomodo sit in istis, & proportionaliter in aliis: tu ipse perquire & considera: per nos enim res plusquam sat est aperitur iis, qui in hæc & alia animum aduertent.

INTENTIO XXI. X.

Non te prætereat tandem vmbrarum cum ideis similitudo tum enim vmbrae, tum & ideæ non sunt contrariæ contrariorum. Per vnam speciem cognoscitur in hoc genere pulchrum & turpe; conueniens & inconueniens; perfectum, & imperfectum, bonum & malum. Malum enim imperfectum, & turpe proprias quibus cognoscantur non habent ideas: quia tamen cognosci dicuntur & non ignorari, & quidquid cognoscitur intelligibiliter per ideas cognoscitur: in aliena specie cognoscuntur, non in propria quæ nulla est. Illud enim quod est eis proprium, est non ens in ente, vel (vt apertius dicam) defectus in effecto.

INTENTIO XXII. Y.

Vmbram si appellaueris accidens corporis á quo proiicitur: habes accidens vnius subiecti á quo recedat, & ad quod redeat vel secundum eandem speciem: vel secundum eumdem numerum: Si volueris eam esse accidens eius in quod proiicitur; iam facies accidens ita ab vno subiecto separabile: vt idem numero diuersa pererret subiecta: vt cum per motum lucis, aut equi, vmbra equina quæ proiiciebatur in lapidem; nunc proiicitur in lignum. Hoc est contra physicam accidentis rationem: nisi in Scyllam te transportes negando vmbram esse accidens. Porró quid dicimus de idealibus vmbris? ipsas nec substantias esse intelligas, nec accidentia: sed quasdam substantiarum, & acciden-

tium notiones. Si cui placeat eas animi, rationisque accidentia dicere, imperité dicet: non enim sunt habitus, nec dispositiones, nec facultates innatæ vel accedentes: sed quibus, & per quas dispositiones quædam, habitus, facultatésque producuntur atque consistunt. Recté enim speculantibus substantia & accidens non diuidunt quidquid esse per vniuersum dicitur, vt modo supponimus. Consideratio ista non modicum valet ad vmbrarum rationem habendam.

INTENTIO XXIII. Z.

Vmbra non subest tempori, sed istius tempori, non loco sed istius loco, non motui sed istius motui. Similiter de oppositis est intelligendum. Abstrahitur ergo ab omni veritate, sed non est sine illa. Et non reddit ineptos ad illam (si idealis sit vmbra) concipere enim facit contraria & diuersa, cum sit vnum. Vmbræ enim nihil est contrarium, preciséque nec tenebra, nec lux. Ad vmbram ergo arboris scientiæ confugit homo pro cognitione tenebræ, & lucis; veri, & falsi, boni, & mali, cum quæreret ab illo Deus ADAM VBI ES?

INTENTIO XXIIII. Φ.

Illud etiam non est prætermittendum quo minus consideretur, quod vnum corpus opacum duobus vel pluribus oppositum luminaribus: duas vel plures proiicit vmbras. Intellige igitur quomodo, & penes quid umbra sequatur corpus: & quomodo penésque quid lucem consequatur: & considera quemadmodum vm-

bram producit á corpore vno multiplicem lux multiplex: innumeræ luces innumeras vmbras, licet sensibiliter non appareant. Consequitur ergo alio modo lucem vmbra, licet eam alios ratione confugere videatur.

INTENTIO XXV. A.

Nec te prætereat quod vt vmbra lucem fugiat corporis quantitatem mentitur: & non nisi in certa vnicaque distantia, situ, & dispositione: secundum longitudinem, & latitudinem corpori æqualem, ab opposita luce producitur vmbra, adeo vt ipsam lucem nihil magis fugere videatur, quám corporis quantitatem per vmbram insinuare. Sol quippé quibusdam in locis numquam vmbram corpori reddit æqualem, in aliis vero rarius & ad modicum temporis.

INTENTIO XXVI. E.

Si magnitudo corporis opaci lucidi corporis magnitudinem excædat; producit vmbræ conum in corpore, basim vero proiicit in infinitam seu interminatam distantiam. Si vero magnitudo lucis, corporis opaci magnitudinem excædat: producit vmbræ basim in corpore, conum veró determinabit in sua extra corpus ipsum proiectione ad talem, tantamque distantiam: quantam magnitudo corporis lucidi supra opaci corporis magnitudinem proportionalem obtinuit rationem. Hinc vmbra quam lunæ corpus lucidum produceret de terra in partem oppositam (posito quod sol absit ab hemisphærio inferiori) haberet pro cono certam terræ

marginem: basis vero eius extra terram quasi in infinitum crescens non esset determinabilis. Vmbra vero quam solis corpus producit de terra: habet certos terræ terminos pro basi: conus autem ipsius Mercurij sphæram non attingit. Iam simile de ideis vmbrisque ipsarum iudicium facito.

INTENTIO XXVII.

Vnde nota quemadmodum de luce & tenebra (tenebram enim densitatem corporis appello) nascitur vmbra, cuius lux pater est, tenebra mater: & non adest nisi hac & illo præsente: atque ita sequitur lucem. vt eamdem fugiat: quasi pudeat ipsam matris speciem præsentare patri: vt pudore saltem regiam progeniem protestetur. Veluti genere nobiles qui nobilitatem ipso habitu monstrare non valentes, ipso satis proprij habitus pudore demonstrant. Hinc crescente luce attenuatur, quæ illa se contrahente dilatatur: eademque totum circumplectente corpus fugit.

INTENTIO XXVIII.

Sicut ex interposito perpendiculariter super planum inter Arcton & oculum gnomone, ex vmbra imaginabili lineam lucramur meridianam: & infallibiliter alias multas temporum differentias quæ in nocturno polarium stellarum circuitu ad differentias partium circelli quas linea in illius tensa circumferentiam per numeros manifestat. Non minus & ideales vmbræ per phy-

sica corpora ad ideas innumeras poterunt tibi rerum significare proprietates & differentias.

INTENTIO XXVIIII.


Et veluti sol sex vmbrarum cardinales immittit differentias. Aliam oriens: cum proiicit vmbram corporis in occasum; Aliam occidens, cum extendit illam in orientem. Aliam meridianus & in Australi latitudine versus Boream. Aliam in latitudine Septentrionali versus Austrum. Aliam si nullam admittit latitudinem. Ex cingulo (quod aiunt) cæli perpendiculares intendens radios, versus nadir suum terræ producit vmbram. Ab ipso autem emisphærij alterius opposito versus augem effundet ipso progressu attenuandam vmbram. Ita nobis in orizonte naturæ, & in æquilibrata rectáque eiusdem sphæra constitutis sub æquinoctiali sensus, vel intellectus æquidiali: sex sub æternis ideis formantur vmbrarum differentiæ, ex quibus omnimodam ad lucem conuersionem possimus accipere.

INTENTIO XXX. A.

Vt vero intelligis omnes vmbrarum differentias ad sex cardinales tandem referri: non minus scire debes quod omnes tandem ad vnam fœcundissimam, aliarumque fontem generalissimum reduci debeant. In proposito (inquam) nostro vna potest esse omnium idearum vmbra, Additione, substractione, & alteratione generaliter dictis omnes alias conflans, iudicans, atque præsentans. Sicut in arte materialiter per substan-

tiuum subiectum, formaliter autem per adiectiuum, quæ recipiunt in se ipsis alterantia, transponentia & vniuersaliter diuersificantia: Analogiam enim quandam admittunt methaphysica, & logica, physica: seu ante naturalia, naturalia, & rationalia. Sicut verum, imago, & vmbra. Cæterum idea in mente diuina, est in actu toto simul te, vnico. In intelligentiis sunt ideæ discretis actibus. In cœlo, in potentia actiua multiplici & successiuè. In natura per vestigii modum quasi per impressionem. In intentione, & ratione per vmbræ modum.

Adest paradigma vnius, ideæ actu infinitas rerum differentias habentis, & vnius vmbræ in facultate infinitarum differentiarum. Linea AB iacens lineam CD perpendiculariter cadentem & duos rectos angulos constituentem excipit. Iam si linea cadens inclinetur versus B: reddet angulum acutum ex vna parte, ex altera vero obtusum. Magis atque magis inclinata in F, G, H, I, K, & ita deinceps; obtusos, acutósque magis hinc inde dabit angulos.



Ita patet quomodo in facultate duarum illarum rectarum linearum; sint infinitæ acutorum, obtusorum-

que angulorum differentiæ. In prima causa hæc facultas non differt ab actu, quæ, & in qua quidquid esse potest, est. Quandoquidem esse & posse idemtificantur in ea. Ideoque in ipso D infinitæ simul; & vnum sunt angulorum differentiæ. In motore cælesti est in potentia actiua: sicut in manu quæ potest mouere in punctum E, F, G, & alios innumeros: non tamen mouit. In cœlo sicut in mixto ex actiuo & passiuo, sicut in linea CD quæ potest moueri ad efficiendum angulum hunc & illum: secundum quippè multas rationes cœlum intelligitur a Peripateticis habere actum potentiæ ad mixtum. In mobilibus consequentibus atque materia, est in potentia passiua, significata per D, quod innumerabiles differentias acuti, & obtusi per modum essendi in materia, & efficiente, & modum participantem de actu, déque potentia vt patet. Hoc quod diximus de differentiis angulorum: referas ad specierum differentias, quæ dicuntur esse sicut numeri. Vnde in omnibus & per omnia quælibet posse figurari manifestum est.

TYPVS VMBRARVM



DE TRIGINTA IDEA-
RVM CONCEPTIBVS.

Iam ad triginta Idearum conceptus, primo simpliciter; secundo cum intentionibus vmbrarum complexé concipiendis, consequenter progrediamur.

CONCEPTVS PRIMVS. A

Lvciferos (inquit Plotinus) in facie Deus oculos fabricauit: cæterisque sensibus adhibuit instrumenta: vt inde tum naturaliter seruarentur, tum etiam cognata luce aliquid contraherent. Quibus sane verbis manifestat aliquid esse præcipuum, quod de mundo intelligibili ad ipsos pertineat.

CONCEPTVS II. B

Non fas est cogitare mundum istum plurès habere principes, & per consequens plures habere ordines præter vnum. Et consequenter si vnum est ordinatum, membra ipsius alia membris aliis sunt adnexa & subordinata. Ita vt superiora secundum verius esse subsistant, in extensam molem, & multiplicem numerum versus materiam se exporrigentia. Vnde ab eo quod est per se maximé ens; ad id quod minimum habet entitatis, & prope nihil haud temeré nuncupatur

6

fiat accessus. Quem ordinem cum suis gradibus, qui mente conceperit: similitudinem magni mundi contrahet aliam ab ea quam secundum naturam habet in se ipso. Vnde quasi per naturam agens: sine difficultate peraget vniuersa.

CONCEPTVS III. C

Qvia in iis quæ semper fiunt non est consultatio, & argumentatio. Si aliquid demonstratum fuerit semper idem facere: actus argumentationis tollitur ab eo, tollitur & consilium. Sed vt quadam forma se ipsam foras quasi naturaliter exprimente vel aliquid é sua natura explicante, & effundente, opera sua perficit. Ad cuius operantis similitudinem propius accedit quod idem vt plurimum & frequentissime operatur. Fiet enim vt minus, miniméque cogitans & decernens, in perfectum, exquisitumque actum prodeat. Qui ergo in loco consistens atque tempore, á loco rationes idearum absoluet atque tempore: diuinis entibus in suis operibus conformabitur, siue ad intellectum pertineant, siue ad voluntates. Id fortasse faciebat is qui dixit. IN CARNE CONSISTENTES NON SECVNDVM CARNEM VIVIMVS.

CONCEPTVS IIII. D

Qvod si possibile est atque verum: intellectualem animan non veré insitam atque infixam, inexistentemque corpori licet apprehendere: sed veré vt adsistentem & gubernantem: ita vt perfectam à corpore seorsum pre se ferre possit speciem. Cui sententiæ (si-

ne controuersia) Theologus ille adstipulatur maximé: qui perfectiori eam intitulans nomine, interiorem hominem appellauit. Quod si pro huius confirmatione, operationes sine corpore eidem possibiles exquiras: Ecce certo loco temporíque non adstrictis copulatur ideis, quotiescumque mente animo-ue solutus homo materiam destituit atque tempus.

CONCEPTVS V. E

Habet anima substantiam ita ad supernos intellectus se habentem, sicut diaphani corpus ad lumina (vt & principes Platonicorum intellexere) quod pro diaphanitate transparentiáque sua, nonnihil velut innatæ luminositatis admittit, quæ semper est in actu cum exuta est á corpore, tanquam regionem lucis inhabitans. In corpore veró degens tanquam cristallus cuius diaphanitas opacitate terminatur: habet species sensibiles vagas: quæ per conuersionem, & auersionem iuxta temporum, locorumque differentias, accedunt atque recedunt.

CONCEPTVS VI. F

Rerum formæ sunt in ideis, sunt quodammodo in se ipsis; sunt in cœlo; sunt in periodo cæli, sunt in causis proximis seminalibus; sunt in causis proximis efficientibus, sunt indiuidualiter in effectu, sunt in lumine, sunt in extrinseco sensu, sunt in intrinseco: modo suo.

CONCEPTVS VII. G

Receptione formarum ideó materia non impletur (vt per æternam nouarum affectationem protestatur) quia nec veras accipit; nec veré recipit quod recipere videtur. Non enim quæ verè sunt, sensibilia ipsa sunt, atque indiuidua: vt autumat qui hæc primo, principaliter, & maximé substantias appellat. Quæ. n. veré sunt semper manent: quæ autem generationi subiacent, atque corruptioni non vere dicuntur esse. Quod non solum rectius philosophantibus placet. Sed & Theologorum alios audimus exteriorem hominem sub hac conditione naturali vanitatem appellantes. Alij vero cuncta quæ fiunt sub sole, id est quæ regionem incolunt materiæ vniuersalem vanitatis notam subire volunt. Ab ideis igitur, ab ideis, conceptionum fixionem perquirat anima, si intelligis.

CONCEPTVS VIII. H

Ideam primum hominem. Animam secundum. Tertium veró quasi iam non hominem dixit Plotinus vbi de ratione multitudinis idearum edisserit. Dependet secundus á primo, tertius á secundo, dum per ordinationem, contractionem, & compositionem, ordinatur ad physicam subsistentiam. Pro methaphysico igitur conceptu tertius ascendat in secundum: secundus in primum.

CONCEPTVS IX. I

Idem, manens, & æternum coincidunt. Idem enim quia idem, manet, & est æternum. Æternum quia æternum, manet, & est idem. Manens, quia manens est idem, & æternum. Nitaris igitur in ipsum idem oportet, vel id in quod identitatis habet rationem; vt permanenter , & perseueranter habeas. Id si capies : caput habebis quo specierum fixionem facias in anima.

CONCEPTVS X. K

Sentensia hæc satis digna est vt in ea mentis acies figatur. Intellectus primus lucis amphitrites: ita lucem suam effundit ab intimis ad externa, & ab extræmis attrahit: vt quidlibet ab ipso pro capacitate possit omnia contrahere, & quæ libet ad ipsum pro facultate per ipsius luminis viam tendere. Hoc forte est quod quidam intellexit dicens. ATTINGIT A FINE VSQVE AD FINEM. & alius dicens. NON EST QVI SE ABSC. A' CAL. EIVS. Lucem hic intelligo intelligibilitatem rerum quæ sunt ab illo, & ad illum tendunt, & id quod concomitatur intelligibilitatem. Hæ res cum profluunt aliæ ab aliis, diuersæ á diuersis; in innumerum multiplicantur vt eas nisi qui numerat multitudinem stellarum, non determinet : Cum veró refluunt vniuntur vsque ad ipsam vnitatem quæ vnitatum omnium fons est.

CONCEPTVS XI. L

Primus intellectus fœcunditate sua, modo suo propagat ideas non nouas, nec nouiter. Natura nouas res

producit in numero, non nouiter tamen (modo suo) si semper eodem modo operatur. Ratio nouas atque nouiter in infinitum species format: componens, diuidens, abstrahens, contrahens, addens, subtrahens, ordinans, deordinans.

CONCEPTVS XII. M

Deformium animalium formæ, formosæ sunt in cælo. Metallorum in se non lucentium formæ, lucent in planetis suis. Non enim homo, nec animalia, nec metalla vt hic sunt, illic existunt. Quod. n. hic discurrit illic actu viget, discursione superiori. Virtutes enim quæ versus materiam explicantur: versus actum primum vniuntur: & complicantur. Vnde patet quod dicunt Platonici, ideam quamlibet rerum etiam non viuentium, vitam esse & intelligentiam quandam. Item & in prima mente vnam esse rerum omnium ideam, Illuminando igitur, viuificando, & vniendo, est quod te superioribus agentibus conformans, in conceptionem & retentionem specierum efferaris.

CONCEPTVS XIII. N

Continet lumen, vita intelligentia, vnitásque prima: omnes species, perfectiones veritates, numeros, rerumque gradus. Dum quæ in natura sunt differentia, contraria, atque diuersa: in ea sunt eadem, conuenientia, & vnum. Tenta igitur an possis viribus tuis identificare, concordare, & vnire receptas species, & non fatigabis ingenium: mentem non turbabis, & memoriam non confundes.

CONCEPTVS XIIII. O

Cvm deueneris ad rationem qua conformabere cœlo corpori, quod animalium inferiorum etiam vilium ratione non vili formas continet pedem ne figito, sed nitaris ad intellectualis cæli conformitatem: quod totius mundi formas, præstantiori modo possidet, quam cœlesti.

CONCEPTVS XV. P

Talem quidem progressum tunc te veré facere comperies, & experieris cum á confusa pluralitate, ad distinctam vnitatem per te fiat accessio: id enim non est vniuersalia logica conflare, quæ ex distinctis infimis speciebus, confusas medias, exque iis confusiores supræmas captant: Sed quasi ex informibus partibus & pluribus, formatum totum & vnum aptare sibi. Sicut manus brachio iuncta: pésque cruri, & oculus fronti, cum sunt composita: maiorem subeunt cognoscibilitatem, quam posita seorsum. Ita cum de partibus & vniuersi speciebus, nil sit seorsum positum & exemptum ab ordine (qui simplicissimus, perfectissimus, & citra numerum est in prima mente) si alias aliis connectendo, & pro ratione vniendo concipimus: quid est quod non possimus intelligere memorari & agere?

CONCEPTVS XVI. Q

Vnum est quod omnia definit. Vnus est pulchritudinis splendor in omnibus. Vnus é multitudine specierum fulgor emicat. Quod si coniicias: tale inter oculos

tuos, & vniuersaliter visibilia interpones oculare, ut nil sit quod te fugere possit omnino.

CONCEPTVS XVII. R

Error nobis & obliuio accidit; quia apud nos ex forma, & infirmi viget compositio. Formatio quippe corporei mundi, forma inferior est, ex ipsius enim vestigio, & deformitate componitur. Illuc igitur ascende vbi species sunt puræ, nihil informe, & omne formatum ipsa forma est.

CONCEPTVS XVIII. S

Notauit Platonicorum princeps Plotinus. Quamdiu circa figuram oculis duntaxat manifestam quis intuendo versatur, non dum amore corripitur: Sed vbi primum animus se ab illa reuocans, figuram in se ipso concipit non diuiduam, vltráque visibilem: protinus amor oritur. Simile iudicium de obiectis intelligibilibus; ei quod est de appetibilibus. Hinc igitur inuestiga & contemplare quomodo species citius, viuacius, atque tenacius concipiantur.

CONCEPTVS XIX. T

Septem gradibus (quibus duos addimus) constare intellexit Plotinus Schalam qua ascenditur ad principium. Quorum. Primus est animi purgatio. Secundus attentio. Tertius intentio. Quartus ordinis contemplatio. Quintus proportionalis ex ordine collatio. Sextus negatio, seu separatio. Septimus, votum. Octauus trans-

formatio sui in rem. Nonus transformatio rei in seipsum. Ita ab vmbris ad ideas patebit aditus, & accessus, & introitus.

CONCEPTVS XX. V

Omne quod est, post vnum; necessario multiplex est & numerosum. Præter vnum igitur atque primum omnia sunt numerus. Vnde sub infimo gradu schalæ naturæ est infinitus numerus, seu materia: in supræmo vero infinita vnitas, actusque purus. Descensus ergo, dispersio, & euagatio fit versus materiam. Ascensus, aggregatio, & determinatio fit versus actum.

CONCEPTVS XXI.X

Per numeros (inquiunt nonnulli). entia, se habere ad id quod veré est, seu verum ens, sicut materia per inchoationem formarum se habet ad formas.

CONCEPTVS XXII. Y

Triplicem considera formam. Quarum prima est á qua rem ipsam formari contingit, vt poté quæ producit actum : & istam non proprié ideam, vel rerum producendarum formam appellamus. Secunda qua res ipsa formatur tanquam parte : & huic non conuenit similitudinem dici eius, cuius est pars. Tertia quæ aliquid terminat, & figurat tanquam inhærens qualitas: & eiusmodi non potest recipere ideæ rationem, cum ab eo cuius est forma non separetur. Quarta ad quam aliquid formatur, & quam aliquid imitatur: & hæc vsu loquentium consueuit nomen ideæ retinere. Et hæc

quatrifariam dicitur. In artificialibus ipsis, ante artificiata. In intentionibus primis, ante secundas. In principiis naturæ, ante naturalia. In diuina mente, ante naturam & vniuersa. In primis dicitur technica. in secundis logica, in tertiis physica, in quartis methaphysica.

CONCEPTVS XXII. I

Qvædam formæ imitantur vt ex natura: veluti imago in speculo obiectæ rei formam. Quædam ex institutione: veluti figura impressa sigillum. Rursum quædam imitantur vt per se: quemadmodum pictura quæ ex intentione pictoris aliquem presentat. Quædam medio modo inter per accidens & per se: vt si fiat pictura ad presentandum quem potest presentare. Quaedam veró vt forté obtigit: quemadmodum cum effigiem depictam accidit præter intentionem quempiam imitari. Quædam nec per se neque per accidens quæ ad nullum prorsus referuntur nec referri possunt imitandum, si possibile est tales esse formas. In primis est ratio maior idealis. In secundis minor. In tertiis minima, in quartis nulla.

CONCEPTVS XXIII. I

Agens ex natura vel á casu, non ex præscripto voluntatis, non supponit ideas. Tale si esset primus efficiens: nullæ essent ideæ, & agens nullum ex arbitrio operaretur. Cæterum valeat Democritus, Empedocles & Epicurus. Si habes impossibile vt agentis ratio á quocunque separetur: & importunius ipsum id omni-

bus rimabere ni omnia tibi reddantur possibilia, reddentur plurima.

CONCEPTVS XXV. E

Dixit vnus de nostratibus. Exemplaris forma habet rationem finis, & ab ea accipit agens formam qua agit quod sit extra ipsum. Non est autem conueniens putare deum agere propter finem alium á se, & accipere aliundé quo sit sufficiens ad agendum: idcirco ideas non habet extra se. Nos autem oportet eas extra, & supra nos inquirere: cum vmbras earum tantum in nobis habeamus.

CONCEPTVS XXVI. I

Per speciem quæ est in intellectu: melius aliquid apprehenditur, quam per speciem quæ est in physico subiecto, quia est in-materialior. Similiter melius cognoscitur aliquid per speciem rei quæ est in mente diuina, quam per ipsam eius essentiam cognosci possit. Duo requiruntur ad speciem quæ est medium cognoscendi: representatio rei cognitæ, quæ conuenit secundum propinquitatem ad cognoscibile, & esse spirituale, & in materiale secundum quod habet esse in cognoscente.

CONCEPTVS XXVII. O

Sicut ideæ sunt formæ rerum principales, secundum quas formatur omne quod oritur & interit: & non solum habent respectum ad id quod generatur & corrumpitur; sed etiam ad id quod generari & interire

potest. Ita tunc verum est nos in nobis idearum vmbras effor̄masse, quando talem admittunt facultatem & contrectabilitatem: vt sint ad omnes formationes possibiles, adaptabiles. Nos similitudine quadam formauimus eas, quæ consistunt in reuolutione rotarum. Tu si aliam potes tentare viam tenta.

CONCEPTVS XXVIII. V

Accidentium ideas non posuit Plato. Cum quippe intelligeret eas esse proximas rerum causas: vnde si quid præter ideam esset proxima causa rei, illud non volebat habere ideam, ideóque in iis quæ dicuntur per prius & posterius non esse voluit communem ideam: sed primum esse ideam secundi. Vnde Clemens philosophus in entibus superiora volebat esse inferiorum ideas.

Accidentium ideas esse volunt Theologi qui intelligunt Deum esse immediatam causam vniuscuiusque rei, licet secundos deos causasque non excludant. Et nos in proposito ideó omnium volumus esse ideas: quia ab omni conceptabili ad easdem conscendimus. De omnibus enim formamus vmbras ideales. Nec propterea destruimus Platonicam doctrinam vt intelligenti patet.

CONCEPTVS XXIX. A

Singularium ideas non posuit Plato, sed specierum tantum. Tum quia ideæ pertinent ad formarum productionem tantum, non materiæ. Tum etiam quia formæ principaliter sunt intentæ per naturam, non autem genera & indiuidua.

Singularium ideas ponunt Theologi, quia & quantum ad materiam & quantum ad formam attinet, totalem causam asserunt esse Deum. Et nos in proposito singularium ideas volumus, quia sumimus ideati rationem secundum vniuersalem figurati, & apprehensi similitudinem: siue illa sit ante rem, siue in re, siue res, siue post rem: atque ita siue in sensu, siue in intellectu, & hoc siue practico, siue speculatiuo.

CONCEPTVS XXX.

Ideas minus communes in ideis communioribus generatas quidam collocant, ac tandem omnium idearum genera in ipso ente primo, quod summum intelligibile vocant, vniunt. Tu vmbras idearum minus communes in communioribus: & subiecta earum extrinseca minus communia, in comunioribus collocare memento.

TYPVS IDEALIVM IN-
TENTIONVM.



DE COMPLEXIONE QVÆ

FIT CONCVRSV PRIMÆ

rotæ cum secunda.

Oportebit ergo volentem per se ipsum artem generalem ad habitum intellectus, voluntatis, & memoriæ captare (licet eam in presentiarum ad memoriæ perceptiones contrahamus): Primo callere elementarium primum cum suis significationibus. Secundo secundum. Tertio secundum deducere per primum. Prima duo nos prestitimus, quæ optimé peruia sunt versatis in peripateticis doctrinis & Platonicis. Tertium ipsius industriæ committimus.

Iam applicationem, & intentionis vniuersalis contractionem, ad artem memoriæ aggrediamur.

ARS MEMORIÆ

IORDANI BRVNI

I.

Tvnc artem sub vmbra Idearum degere arbitramur, cum aut torpentem naturam antecedendo sollicitat; aut deuiam & exorbitantem dirigit & perducit; aut deficientem lassámqne; roborat atque fulcit, aut errantem corrigit, aut perfectam sequitur, & industriam emulatur.

II.

Est quidem huiuscemodi ars rerum prosequendarum in genere discursiua architectura; & habitus quidam ratiocinantis animæ, ab eo quod est mundi vitæ principio, ad omnium atque singulorum se exporrigens vitæ principium. Nulli de potentiis ipsius tanquam ramo innixus, neque de peculiari quadam emergens facultate: sed ipsum totius stipitem vtpoté ipsam animæ totius incolens essentiam. Quod non ab re dictum existimarim: si quippé in memoratiua potentia consisteret: quomodo effunderet ab intellectu? si in intellectiua: quomodo é memoria, sensu, & appetitu trans-

mitteret? Porró per ipsam regulamur & dirigimur, ad intelligendum, discurrendum, memorandum, phantasiandum, appetendum, & quandoque vt volumus sentiendum.

III.

At vero hoc quo, generaliter ad omnes atque singulas functiones anima fertur, quale sit, & quomodo: non satis est apertum, quæritur. n. quid est quo artem induit anima? qua arte anima artem induit? nunquid non artem conuenit appellare quo technica mater natura ex frequentatis actibus, expertem se reddere nititur?

IIII.

Nónne licebit dicere anté plurimas artes extare artem quam organicam dixerim: cum plurimi artificum vtantur organo; quorum tamen ars non est organum; sed per organum prosequuta? Nonne artem dicere licet quæ artium fabricat instrumentum? quid. n. erit si non est ars? Adhæc si organum non precessit quo oportuit aliud fabrefieri: expone mihi artis rationem, quæ artem debuit precessisse? In quo nam vt in súbiecto agentis ars organica præxtitit? Omni proculdubio in physico illo quod præ erat. Illud positione quadam formatum est in primi organi intimæ susceptiuum deminationis. Quod si vulgariter phylosophanti placeat ab extrinseca forma rei essentiam primó denominare: dimittimus. Quia consuetum est artificialium

rationem in forma extrinseca ponere: cum ars non profundet in intima materiæ. Sed hic distat á nostra intentione: ita vt non intelligat.

V.

Quod si ita est vt melius philosophantibus apparet: id quod primó est ars nil aliud est dicendum; quám naturæ facultas connata rationi, cum seminibus primorum principiorum, quibus inest potentia, qua ab extrinsecus obiectis tamquam diversis illectentur illecebris; & ab agente intellectu tanquam irradiante sole illustrentur: & ab æternis Ideis quasi siderum mediante concursu influxum recipiant: dum ab optimo maximo fœcundante cuncta in actum, atque finem proprium pro viribus consequendum ordinentur. Ex quibus manifestatur non temeré nos dedalam naturam artium omnium fontem, atque substantiam velle nuncupari.

VI.

Considerato igitur qua intentione possimus expressisse, artem in quibusdam excellere naturam: eandemque in aliis ab illa superari. Id. n. esse minimé potest quam vbi naturam in actibus remotioribus, quasdam rationes maiores, quam in mage propinquis ostendere conspexerimus. Ipsam perpetuare fertur in eadem specie formam substantialem, quam non valet secundum numerum eandem perpetuasse: in quibus artis facultas non extenditur. Forma vero extrinseca, atque figura inuentoris clauis magnæ; per artem duro com-

mittitur lapidi, vel adamanti. Item conditiones, actus, & nomen memoriæ, & cogitatiuæ obiectis perpetuanda committuntur; quæ tamen natura retinere non potuisset: quandoquidem fluctuantis materiæ stomachus maturé omnia digerit.

VII.

Sed vnde inquam hæc arti facultas? inde nimirum vbi viget ingenium. Ingenium cuius est proximé? hominis. Homo vero cum suis facultatibus omnibus vnde emanauit primo? á natura sané parturiente. Ergo si rem ab exordio intueberis, & ab ipsa radice hanc arborem transplantandam velis euellere: ad naturæ cultum, atque recognitionem inclinatur. Id sané præstabis cum vociferanti, clamantíque principio, in timiúsque nos illustranti animum intenderis. Natura est quæ animis corpora confingit; Natura animis instrumenta congrua suppeditat. (vnde Pythagorei, & ingenia Magorum, vitam, atque animæ speciem á corporis forma deprehendisse perhibentur). Natura ipsa tibi (nisi auertaris) aderit in omnibus : vniuersalis. n. natura non contrahitur quo minus nobis extet officiosa, super omnia enim pluit Iuppiter germina, & super omnes plantas oritur benignus Apollo. Sed non omnia parem á superis imbuunt vitam : cum non pariter omnia ad illos conuertantur, vt manifesté patet in nobis qui per nos ipsos ab illorum communicatione diuellimur.

VIII.

Cum igitur omne possibile natura præstet, siue anté naturalia, siue in naturalibus, siue per naturalia: ita intelligas á naturalibus omnibus actionem profiscisci: vt naturam per eadem agere non ignores. Distinguat quantumlibet, agens positiuum á naturali vulgaris philosophia; non. n. inficiam. Illud mihi iure admitti volo: vt ita distinguatur, sicut organum operantis ab ipso distinguitur operante; sicut medium ab ordinante, brachium ab exagitante.

IX.

Propterea intelligas nos minimé alligatos esse communi philosophiæ cum naturæ nomen materiæ, formæque adstrinxerit: sed & cum efficiens intrinsecum principium recognouerit; siue sit omnibus commune, siue ad hoc suppositum, vel ad illud fuerit contractum. Vnde libentius idiotas loquentes audimus: dum naturam istius hominis, cum illius hominis natura comparant: non. n. vt vniuersale logicum, vel ad eius similitudinem licet apprehendere naturam: sed vt physicum, quod est tum in omnibus, tum ad singula contractum.

X.

Hæc est quæ mediaté sensibilia preterita & absentia: præsentia reddit, atque conspicua: hinc quidem

visu sensibilia per sculpturam, atque picturam: inde vero fluentia verba, & quasi in nihilum prodeuntia; stabilia, fixáque reddit per scripturam. Insuper & conceptus, & silentes intentiones cominus comunicabile, ê minus ad omnia loca transmittit, atque tempora.

XI.

Quod liberé siue fatum, siue necessitatem, siue bonum, siue demourgon, siue mundi animam, siue naturam appellare consueuere: ab imperfectis ad perfecta, inferioribus istis communicanda: motu atque tempore procedit, quod in omnibus, & singulis est idem principium. Hinc & eadem serie progressum facere dicitur ars, quam manu ducit. Ideo (vt ad propositum intentionis nostræ spectat) cultris in arborum corticibus prior scripsisse perhibetur vetustas. Cui successit ætas in lapidibus celte excauatis inscribens: Quam sequuta est papyrus sepiarum succis exarata. Inde pergamenae membranæ atramento artificioso magis intinctæ. Proinde charta & inhaustum, præloque premendæ in vsum longé omnium aptissimum literæ. A cultris inquam ad stilos, á stilis ad spongias; á spongiis ad calamos; á calamis ad pennas; á pennis ad fusilia tandem elementa peruentum. Haud secus in iis quæ ad scripturam pertinere videntur internam contigisse arbitramur: dum ab antiquo humanum studium siue á Melico Simonide, siue ab alio sumpserit exordium: quæ locorum, & imaginum proportionalium chartæ atque scripturæ, actúque phantasiæ & cogitatiuæ, locum scriptoris & calami subeuntibus: species

rerum memorandarum in interno libro inscribere studuerunt. Quorum industriæ quid, & quantum addiderimus: ipsorum qui hæc nostra cum illorum monumentis conferre poterunt, esto iudicium. Iam quæ ad nostram faciunt praxim aggrediamur.

XII.

Habes in libro clauis magnæ duodecim indumentorum subiecta. Species, Formas, Simulachra, Imagines, Spectra, Exemplaria, Vestigia, Indicia, Signa, Notas, Characteres, & Sigillos. Quorum quædam referuntur ad sensibile ob oculum (siue natura siue arte figurante dicta) cuiusmodi sunt extrinseca forma, Imago. Exemplar quæ per picturam, & alias figuratiuas artes emulatrices matris magnæ describunt, atque describuntur.

Quædam ad internum sensum referuntur in quo magnificantur, protelantur, & multiplicantur, in mensura, duratione, & numero: vt sunt quæ contrectanda phantasticæ se offerunt facultati. Quædam sunt quæ in eodem versantur similitudinis puncto: vtpoté quæ á forma eiusdem generis, & substantia eiusdem speciei extrahunt exemplar. Quædam á propria propositi substantia deficiunt, vt patet in omnibus in quibus sophista mendicat á reali, & vniuersaliter ars emulatrix á natura. Quædam veró adeó arti videntur appropriata: vt in eisdem videatur naturalibus omninó suffragari: hæc sunt Signa, Notæ, Characteres, & Sygilli: in quibus tantum potest: vt videatur agere præter naturam, supra naturam, & si negotium requirat, contra naturam.

XIII.

Hisce succurrit vbi figuras & imagines reddere non potest: cum in imaginabilium, vel figurabilium genere non versentur. Carent. n. illa accidentibus illis quibus sensuum pulsari consueuere ianuæ : carent partium differentia, & dispositione, sine quibus antecedentibus, effigiantis actus non succedit. Horum genus ex vna parte ingrediuntur quædam medio se habentia modo: nempé quæ quodammodo referunt, & referuntur: cuiusmodi sunt indicia. Indicamus enim non solum efficiabilia, imaginabilia, & exemplificabilia; item exempla, imagines, & effigies: verum quoque, quæ sigillis, notis, & characteribus exprimunt, & exprimuntur. Vnde non temere in illa enumeratione indicia mediam sortita sunt sedem.

XIIII.

Mercurium ergo præsentat species: forma simulachrum, exemplar, & spectrum. Mercurij veró substantiam, essentiam, bonitatem, iustitiam, & sapientiam, præsentant notæ, characteres, & sigilli. Quæ veró promiscué tum Mercurium, tum & omnia quæ de Mercurio dicuntur præsentia reddunt : indicia sunt proprius appellata. Iis tanquam communi imaginis, notæque stipite: indicamus, & præsentamus, vtrumque. Sicut in demonstratiuis pronominibus est manifestum: cum Mercurij, & virtutis dicimus hoc simulachrum, hoc signum, hanc notam, hanc similitudinem.

XV.

Istis consideratis: memento huic arti media alia vsu venire non posse ad suum finem consequendum, quam sensibilia, formata, figurata, tempori, locóque contracta: quemadmodom & in omnibus aliis technicis animæ operibus accidere in primo volumine Clauis magnæ fuit expressum. Nihilo tamen minus non vti intelligitur omnibus tanquam imaginibus: siquidem multa quorum debet esse memoria, imaginabilia non sunt neque effigiabilia, neque simili quodam insinuabilia; cuiusmodi sunt termini, vsia, ypostasis, mens, cæteraque id genus: sed vt signis significabilium; imaginibus imaginabilium. Et cum hoc illud non est mente prætereundam quód non minus sunt alligatæ signis imagines, quám signa imaginibus sunt adnexa.

XVI.

Ex adnexionis defectu accidit infirmitas illa, qua vtentibus arte multoties collocata species non occurrit, non tamen ex hoc capite rem ipsam perpendisse videntur prædecessores nostri. Hic est qui interim visus sensum refringit magis quam lumen excellentius, densior obscuritas, magna celebritas, distantia dispergens, & id genus alia, quæ locis quibus vti consueuerunt solentem accidere. Hinc veluti percussi canes lapidem mordentes vel baculum, verum discriminis huius authorem minimé percipientes, alium incusant. Nobis autem cum datum est illam inuenisse, &

perfecisse, nec locis materialibus (verificatis. s. per sensus exteriores) vltra non indiguimus, nec ordini locorum memorandorum ordinem adstrinximus : sed puro phantasiæ architecto innixi, ordini rerum memorandarum, locorum ordinem adligauimus. Vnde nobis ita successisse presumimus, vt quidquid ab antiquoribus hac de re fuit consideratum, præceptum, & ordinatum (quatenus per eorum scripta quæ ad nostras deuenere manus extat explicatum) non sit conueniens pars inuentionis nostræ, quæ est inuentio supra modum prægnans cui appropriatus est liber Clauis magnæ. Sed interim ad dignitatem considerationis istius conuertamur.

XVII.

Fama est naturalis considerationem proportionari considerationi de simo, quæ non formam seorsum, nec materiam seorsum respicit, quæ naturæ nomine insigniuntur: sed materiam formatam, formamque materialem materiæ adplicitam, quibus efficitur quod naturale proprié nuncupatur. Hic est nexus ille, quo abacto, nullum prorsus opus est, quod natura valeat effingere: multó minus valet ars quæ eiusdem pedissequa: si infra nihilum minus aliquid esse licet somniare. Ars. n. non solum vt primum subiectum naturam ipsam supponit: sed & vt subiectum proximum ipsum naturale. Sicut igitur omnis ars pro suæ considerationis elementis requirit rationem materiæ conuenientis suorum operabilium, atque formæ concinnioris (cum generalis omnium finis sit in aliquæ subiecto ali-

quam nouare formam :) ita & ars ista, cuius eadem ratio est cum ratione graphicæ facultati in genere, & excellenti proportionis modo; duabus manifestis eiusdem speciebus proportionatur. Est. n. pictura intrinseca, cum rerum, & operum memorandorum producit imagines. Est etiam scriptura intrinseca, cum rationum, & verborum ordinat, atque tribuit signa, notas & characteres: quæ quia etiam in imaginabilibus subiectiuantur: non inficior quód communiter loquentes, tum ad memoriam rerum, tum ad verborum retentionem ordinatas formas, appellant imagines.

XVIII.

Habet pictura (vt decentibus vtar in hac arte terminis) subiectum primum in quo, parietem, lapidem, & similia. Habet subiectum proximum ex quo, ipsum colorem; & habet pro forma ipsos colorum tractus. Scriptura etiam habet subiectum primum chartam tanquam locum: Habet subiectum proximum minium, & habet pro forma ipsos characterum tractus. Ita & hæc ars obiectiué duplex admittit subiectum: primum videlicet quod est locus; & proximum quod est appositum, siue adiectum. Potentialiter etiam duplex admittit subiectum, memoriam videlicet, atque phantasiam in genere, loco vnius: & speciem phantasiabilem seu cogitabilem in genere, loco alterius: Et admittit pro forma intentionem, & collationem specierum existentium in vno subiecto; ad species existentes in alio subiecto. Sicut etiam pictura, atque scriptura, quibus suam forment materiam, adaptant organa: ita

& huic non desunt arti suarum figurationum instrumenta.

SECVNDA PARS.

Triplex igitur consideratio artis istius praxim anteire oportet. Prima quæ speculatur quæ, & qualia debeant esse subiecta. Secunda quæ docet quæ, & cuiusmodi sint apparandæ formæ. Tertia quæ adaptare docet organum, mediúmque illud, quo solertior operatur anima: de quibus omnibus perfectissimé in primo Clauis magnæ peractum est: pro ratione tamen huius libri ne sit truncus, & imperfectus in se ipso (non. n. semper est commodum inquirentem artis principia ad subalternantem transmittere disciplinam: quatenus. n. principia differentiis quibusdam ad speciem aliquam contrahuntur; migrant in primam partem scientiæ subalternatæ) tres pro tribus istis canonum ordines adducemus. Primos de materia siue de subiecto. Secundos de forma siue de adiecto. Tertios de instrumento quod virtutem præ se fert efficientis: vnde in idem vergunt caussæ, genus efficiens & instrumentum.

DE SVBIECTIS.

Primum ergo subiectum est technica extensio, siue sinus in phantastica facultate, ordinatus. Ex speciebus receptaculorum consitus, quæ ex animæ fenestris influxere. Diuersis distinctum partibus, visa omnia atque audita suo recipiens ordine & ad animæ libitum reti-

nens. Quæ definitio respicit subiectum commune, formarum communium, ex arte communi quæ ex antiquitate ad nos vsque deducta est. Primum autem subiectum ex principiis Clauis magnæ est: phantasticum chaos ita tractabile; vt cogitatiua potentia ad trutinam redigente visa, atque audita in talem prodire possit ordinem, & effigiem; quale suis membris primis vltimisque partibus felicissime valeat ipsa per aures vel oculos percepta constanter presentare, tanquam nouæ arboris vel animalis, vel mundi prospectum incurrens. Haud. n. secus tale chaos se habere videtur quam nubes ab externis impulsa ventis; quæ pro impulsuum differentiis atque rationibus, infinitas omnésque subire valet specierum figuras. Hoc sané subiectum quam fœlix extet atque nobile; melius ipsa experientia quam vlla vi potest iudicari. Verumtamen qui ex Claui magna poterit elicere eliciat: non enim omnibus dabitur hanc adire Corynthum. Iam ergo ad subiectum primo definitum modo redeamus.

II.

Constat quidem subiectum primum partibus materialibus; atque ita materialibus: vt visiuam non subterfugiant facultatem, quatenus eadem suo ordine phantastica facultas valeat contemplari, vel ipsis vtens tanquam partibus atque principiis, in monstra, novasque innumeras metamorphoses digerere, & digestas velut orbi adfixas intueri. Ideóque in horum consortium non admittuntur in materialiora subiecta, de quibus in arte vera artium, & facultate facultatum.

III.

In horum constitutione seruanda est ratio inter magnitudinem, & parvitatem relata ad hominis molem, atque prospectum. Inter intensionem & remissionem, relata ad sensus limites. Inter præteritum & futurum, relata ad præsentem actum. Inter excessum partium & defectum relata ad rei totius præsentandæ integritatem: Inter distantiam, & propinquitatem, relata ad motus competentiam. Inter terminum á quo & terminum ad quem, relata ad eius quod mouetur appulsum naturalem.

IIII.

Horum aliud est communissimum, quia tantum valet extendi, quantum phantasiae potest comprehendere sinus, qui positæ orbis quantitati quantumlibet addere potest, licet non quantumlibet substrahere. Aliud est commune quod Cosmicarum perspectarum partium cumulo constat. Aliud est minus commune, vtpote si libet politicum. Aliud est proprium, nempé si placeat œconomicum. Aliud est magis proprium tetrathomum, videlicet vel pentethomum. Aliud est propriissimum, quod est athomum, athomum inquam non simpliciter, sed in isto genere. Quorum omnium modorum: primus excluditur per se ipsum ab vsu præsentis artis. Nouimus enim quomodo infinita in vnum atrium reducantur, & multiplicentur in eodem.

V.

Hæc quoque dupliciter contingit vsuuenire animata. s. & inanimata. Animata quidem cum subiecta substantiua adiectiuis apparebunt illustria, & insignita, quæ quidem aduentantium formarum, decursu moueantur: in animata vero cum vacua proferuntur & inania. Caueto igitur ne vulgatum illud experiaris. Vacua vacuis. frustra. n. sperabis in artis huius praxi, quod aiunt. Parietes clamabunt: lapides dabunt vocem suam.

VI.

Committe communia communibus; minus communia minus communibus, propria propriis; proprioribus atque propriissimis propriora, atque propriissima. Hic habes considerandi locum quo non modo ab omni obliuionis formidine exemptus fias; verum quoque ad perfectiores effigiandi & inscribendi vsus, item in ordinando & methodum methodorum inueniendo, promptior atque securior efficiaris. Et habes istud modo suo in radicibus primi Clauis magnæ.

VII.

Sint naturalia omnia & vel phisicam vel technicam admittant formam. Sint formis effigiandis quantitate proportionata, vbi illud memineris quod natura clamat se prescriptum in speciebus ad maximum & ad mini-

mum habere terminum, eique tanquam subditæ præstanti legi non licere quantæcunque materiei quamcumque committere formam. Quod ad mensuram superius consideratum est referendum cum antiquis, quæ quidem respicit formas seu adiecta illa, quæ frequentissime subiectis committi assolent. Sint non vltra metam præcipué visibilium vnde intensione sua lædere possint, nec infra suos etiam remissa fines, quatenus ad internum oculum commouendum minus, vel minimé reddantur habilia. Caueto in engraphia vt cauetur in extrinseca scriptura: ne inquam ita subiecta subiectis sint apposita: vt proprios nec distinguas terminos & interualla: propriámque figurationem admiscentes alienæ, tum sui denegent coniecturam, tum & alienam impediant. Sicut enim litteræ super litteras appositæ, & sigilli super sigillos, se inuicem aut delent, aut certé confundunt: non minus subiectis nedum inquam adnexis & connexis: sed & continuis, vel contiguis, nulla intercapedinis conuenienti latitudine distinctis: importunam te noueris incurrere confusionem.

VIII.

Ita quoque capienda sunt subiecta vt determinatis mediis, longitudinibus, altitudinibus & latitudinibus & extremitatum differentiis, habitudinem aliquam habeant ad inuicem. Omnis enim virtus naturaliter præsentantium, & oculum tum primo externum, tum deinde internum commouentium, non tantum in coloribus & eorum fonte lumine sita est, quantum in extremitatum differentiis, ex quo principio perspectiuo op-

ticus & catopticus ad ea quæ cæteris mirabilia videntur peragenda sunt promati: quod si ratio subiecti faciat vt ipsum non ferat á semetipso: tentet succurrens (vt innuimus) cogitatio vel per additionem externi, vel per additionem proprij, cum per congruentes formationes vtrumque possit accidere materiæ. Subtractione, ex lapide fit Mercurius. Additione ex ligno consuitur nauis. Compressione & distractione de cæra fit effigies. Tractu ex lineis fit figura. Alteratione ex vino fit acetum. Item alia commixtione, segregatione alia. Nexu alia. Solutione alia, alia Consequentia, & Continuitate tentantur ad commutandam formam, & vniuersaliter mutabilis rei naturam.

IX.

Illud quoque non est prætereundum subiecta proportionaliter ad oculorum intuitum in obtutu cogitationis internæ spectanda esse. Sicut. n. ibi sensibile inhaerens sensui non sentitur, & sensibile eminentius remotum á sensu, caret actu sensibilitatis siquidem nec oculis nimis proximos (nec admodum ab oculis sepositus liber legitur) ita in proposito, obtutus internæ cogitationis, quam ita regulare convenit, vt in genere suæ facultatis mediocri sitam elongatione ab intendente potentia, sibi figuret obiectum atque fingat. Illud quoque non minus omnibus est cauendum, ne quasi credentes & memorantes subiectum naturali potius memoriæ, quám speculari afferamus visui: accidit. n. ex huius considerationis penuria, aliquem opinari se subiectum figurare, vel tanquam figuratum contueri:

cum tamen illud non sit. Aliud enim est subiectiuare, aliud, quasi in tenebris scribere, vel sub pallio.

X.

Ad amouenda vero quæ subiectorum continuitatem faciunt eorúmque distributionem, distinctionémque prepediunt, consultum erit vt inter positum subiectum & subiectum interposita tanquam abolita deletáque censeantur. E contrario vbi continuum & vniforme spacium nimis produci contigerit vt vltra quam satis est natura sua valida seiunxerit subiecta: tua positione alia post alia subordinare valebis, nec non adiectivis insignita concipere subiectis. Quid. n. obstat quominus phantasia antiqua hinc recedere; iisque noua accidere secum ipsa fingere valeat? Porró hæc phantastica, quæ veris addi placuerit: non leviter habeantur sicuti leviter efformantur: eoúsque. n. in illis cogitando est incumbendum, quoad ita tibi consuescant, vt á verioribus nihil differre videantur. Id quidem modica præstabis sollicitudine si voles.

XI.

Subiectorum sane repetita excursio, tantum adfert emolumenti; quantum præsens artificium valere potest. An ignoras illum qui diutius legere consuevit: citius quam possit opinari, eum singulas considerasse literas, ex literis composita scripta referre? ipsum sane consuetudo ad perfectius sine cogitatione agendum impulit: quam in assuetum valeat vnquam pura & in-

tentior super singulas partes & elementa regere atque ducere cogitatio. Peritus consuetudine cytharedus perfectissimé sola actus consuetudine, non cogitando cytharizat: alius autem etiam tactuum rationem eandem habens, quam et ille : cum consuetudine careat, tanto se habebit rudius: quanto magis super agendis cogitando incumbet. Satis vulgatum est quanta sit vis consuetudinis. Satis perspicuum est quam leuis aqua durum excauare valeat marmor atque ferrum. Sed quid plura de re nimium manifesta? Dicta non prætermisimus, haud quidem quia satis non sunt manifesta: sed quia maximé operæ precium est, vt ad istud propositum referantur. Nouerunt iuxta artis antiquæ canones laborantes, simul longé seposita ab inuicem subiecta, eadémque plurima: vno cogitationis actu contueri ad expressionem non minus quam si in charta legerent expeditam & exquisitam. Id cum imperitis omnibus, tum & iis qui primo se accingunt operi minus credibile solet apparere: ipsa tamen res conuincit oppositum. Quod si per antiquas artes est præstitum præstaríque videmus quotidie: quid fiet in ista inquam breuissimam admodum moram exigit consuetudo? plus, melius, tersiúsque tibi præstabunt, hic tres quatuórue lunæ reuolutiones: quám sex illi solis proprij potuerint afferre recursus. Inuenimus namque viam committendi singulis quibuscunque subiectis integros quosque terminos retinendos, & maiora longéque plura vt ex archanis magnæ Clauis est manifestabile. Quod quantum & quomodo attrectauerit, alij ipsi viderint qui de ambobus recté poterunt iudicare.

XII.

Aspicis proinde quam sit ab eminente natura prelata varietas. Varia sunt mundi membra. Variæ sunt in membris mundi species. Variæ sunt in speciebus indiuiduorum figuræ: non. n. altera olea alteri oleæ prorsus est configurata; non alter homo prorsus alteri similis. Itaque differentiis omnia sunt pro capacitate distincta, singula á singulis, omniáque ab omnibus propriis secernuntur tanquam finibus differentiis. Tenta igitur naturæ conformaturus in omnibus diuersitatem, in modo subsistendi, in magnitudine, in forma, in figura in habitu, in habitudine, in termino, in situ, & quot poteris discriminibus indue, in agendo, patiendo, elargiendo, capiendo, subtrahendo, addendo, aliisque modis vt diximus alterando. Vicissim quidem dicuntur ens et vnum: quidquid vnum non est, ens non est, vniquodque autem hoc ipso vnum esse sentimus: quia modo suo propria terminatur differentia. Sensibus omnibus vniformitas nauseam parit, omnes. n. non modo vna qualitatis specie frequentiori, atque continua non delectantur: sed neque ad modicum temporis vnam eamdemque prorsus: vtpote vno, eodemque modo prorsus affectam patiuntur. Quod minimé præteriuit eos qui velocissimum in naturalibus omnibus fluxum considerantes: impossibile rati sunt eundem fluuium bis (imo vel semel) posse pedibus attingi.

XIII.

Hinc affectiuitas dependet subiectorum, affectiuitatem appello afficiendi actiuam facultatem, cum aliqua alliciente vel vrgente varietate, vel ab intrinseca natura dotantur, vel ab ipsa insigniuntur positione. Inde quibusdam consultum est principalibus subiectis appositia quædam addere subiecta; vt affectiuitatem quam á se ipsis non habent: possint propter aliorum quasi sibi insitorum additamentum admittere. Quid enim? quanto magis in affectiuitate intenduntur atque remittuntur, tanto virtuosius aut lentius affectibilem ipsam commouere possunt phantasiam, memoriæque subire aulam atque repetere. Hinc calcaria, hinc sales, hinc aculei; hinc condimenta, hinc obliti dum tentant reminisse, repetunt, recapitulant, resumunt quasi per ipsam diuersitatem, per ipsas vices, vel vt melius exprimam, per ipsam in vicibus diuersitatem sperent accire spiritum memoriæ. Quod bene facillimé cedit iis qui minimé animo turbati id faciunt: alioqui tanto in maiorem tenduntur confusionem; quanto turbatio illa magis atque magis incalescit. Quanta vero sit affectuum in genere virtus, & quomodo sint prouocandi, seruandi, & variandi, non parum aperte in libro Clauis magnæ insinuatur.

DE ADIECTIS.

I.

Adiectum vero seu forma in genere isto definitur subiecto siue physico, siue technico, siue phantastico appositum, ad aliquid per solertem cogitationis apparatum, presentando, effigiendo, notando, vel indicando ad picturæ scripturæque similitudinem; exprimendum vel significandum. Quæ ratio respicit formas communes, ab antiquitate ad nostra vsque tempora dilapsas. Forma vero vt ex radicibus Clauis magnæ elicitur: est depromptus & explicatus ordo cogitabilium specierum, in statuas, vel microcosmon, vel in aliam generaliter architecturam dispositum; ad quolibet dicibile interius notandum, vel figurandum ex ductu phantastici chaos, methamorphoses omnes admittentis. Cuius Typum non tanquam hic declarandum: sed ut & hic iuspiciendum apponimus.

FIGVRA PRIMA.

II.

Est ibi chaos in tua primordiali natura elementorum & numerorum ordinem, atque seriem non excludens, cum non solum ipsum informe formabile oportet intelligere, verum quoque vt ordinate formabile concipere necesse est. Est vt vides diuersis distinctum interuallis in se suísque portionibus omni formalibus

figura: dum formator designatus per elementum. A. per informes numerorum elementorúmque discurrit circuitus, & semidiametros. Aliam ipse figuram per Arietem imprimit: aliam per Taurum; alias quoque per reliqua omnia. Aliam per arietem denuo cum Saturno reuertentem, aliam cum Marte remigrantem, aliam cum hoc & illo: aliam sine hoc & illo. Vnde in infinitum possunt formari & reformari, siue numeri ipsi, ipsáque elementa, siue ipsi diuersimode ducti motores atque efficientes. Hoc est informe chaos formare, siue formantes eosdem ad formata; diuersa siue formantes varios atque diuersos ad eadem formata referas, nihil interest in proposito. Veruntamen illud quod immobile manet, atque subest: hac ratione qua subest, atque formatur, habeatur vt fœmina ad marem, & prorsus informe vt vndecunque formabile esse possit. Esset communi iudicio magis perfecté chaos, si ex inordinatis constaret etherogeneis, sed tale nulli posset esse vsui. Necessum quidem est ad obsequium memoriæ numeros & elementa ordine quodam esse disposita quo aduentantibus motoribus atque formatoribus; cæteras etiam memorabiles valeant suscipere formas. Sunt autem (vt vides) ita ordinate disposita, vt idem nec in eadem semidiametro, neque in eodem circuitu, aliquando possit occurrere, siue sit elementum, siue numerus. Excellentissima pleraque alia per hanc figuram pertractari possunt; sed minimé hic locus est. An tamen cum hoc consulto sit apposita; non decerno, sed affirmo tantum. Hoc vnum dixerim quod sí attentius eam contemplabere cum rationibus hic explicitis: artem figuratiuam talem poteris adipisci, qualis non solum memoriæ, sed

& cæteris omnibus animæ potentiis mirum in modum subueniendo conferet.

III.

Primum igitur & in adiectis notandum est, eorum rationem esse inter excessum & diminutionem, intensionem & remissionem, præteritum & futurum, distantiam & propinquitatem, relata ad hominis molem, vel semissem, ad intuitum, & præsens tempus in quo debet esse memoria.

IIII.

Horum alia sunt animata, & ista possunt concurrere vt organa, & efficientia, adiacentia, & opera, alia sunt inanimata, & huiuscemodi concurrunt vt organa adiacentia, & opera duntaxat. Animatorum veró alia sunt rationis participia, & ista aptasunt ad omnem actionem & passionem, & neutrum se habendi modum. Alia ratione carent, & istis (vt satis est manifestum) dicta per vniuersum non satis conueniunt.

V.

Ipsorum quoque quædam sunt naturalia, quædam artificialia, quædam sunt á sensibus externis illapsa ad sensus internos. Quædam in sensibus ipsis in ternis efformata quorum omnium species sunt Forma, Similitudo, Imago, Figura, Exemplar, Character, atque Signum, secundum formalia significata distinctæ vt stat indictum in Clauis magnæ considerationibus.

VI.

Quod ad eorum magnitudinem attinent: Adiecta eo pacto conuenit subiectis esse commensurata: ut reuera ipsa sunt in rerum natura, alioqui facilé deperderentur & visum phantasiæ aut obtunderent aut disgregarent. Diuturniorem certé perquisitionem in ampla pagina microgramma: requirit & ægré requisitum reperitur. Mole quoque sua arbor spatium replens aut exuperans non reddit suam perspicuam figuram. Pro iis valde nobis probatur artificum quorundam industria, vbi modica quædam & phantasiæ visum subterfugientia subiectis sese offerunti adiicienda: alteri adiectiuo formam illam adiiciunt, cui adherere assolet atque concomitari. Adferet illi Sagittarius sagittam, scriptor calamum, Sutor acum. Tanta virtus est in connexione, adnexione, antecedentia, concomitantia & consequentia: vt inuisibilia faciant visibilia, intelligibilia per vniuersum sensibilia, difficilis quoque sensus facile persentita.

VII.

Quod ad qualitatem attinet: sint illustria, sint quæ imaginationem, cogitationémque pulsare valeant, vtpoté quæ aliquid admirandum, timendum, iucundum, triste, amicum, inimicum, abominabile, probabile, admirandum, prodigiosum, de quo sit spes, vel suspicio, & omninó quod in intimos affectus potenter irrumpat: secum afferant. Hinc caueto ne aberres

minus sobrié intelligens modum præceptionis nostræ, cum inter species adiectorum signa, insignia, characteres, & sigillos enumerauimus: est. n. quod ea omnia modifices per ea quæ proximé dicta sunt ad quantitatem attinentia, & figendus est oculus considerationis in eo quod in Clauis magnæ considerationibus habetur: vtpoté á sensibus, & phantasia, nihilo nisi per cogitatiuam facultatem ad memoratiuam patere posse ingressum.

VIII.

Quod ad relationem attinet. Opus est non ita adiecta subiectis applicari, quasi ea casu & vt accidit proiiciantur: atqui referenda sunt tanquam comprehensa ad comprehendentia; indumenta propria ad indutum; tutelata ad tutantia; ita adeóque inuicem connexa, vt nullo ab inuicem discuti possint turbine. Sint relata secundum omnes partes, ad omnes partes; vt pertinentia, vel in pertinentia, vt ordinata, vel deordinata; resistentia, vel conuenientia; & vniuersaliter ita fiat, vt conceptus vnius connectatur alterius conceptui. Quis. n. adiectum hoc Dignitas regia, abscisum ab omni subiecto conceperit? Simul igitur intelligantur adiecta cum subiectis: & quasi elementa lapidibus insculpta prodibunt; nec tanquam á vento exagitata volitabunt, vel confundentur, sicut accidit figuris arenarum tractibus effinctis.

IX.

Agere quoque intelligantur adiecta in subiecta, & in subiectis: vel pati á subiectis, vel in subiectis. Aliqua inquam actione, vel passione viuificata habeantur; quatenus aliquo motu, internum visum quasi sopitum, exagitatione quadam expergefaciant. Errando, Transeundo, Subeundo, Adeundo, Abeundo, Coeundo, Ascendendo, Descendendo, Obuiando, Deuiando, Vitando, Destituendo. Quo aliquid Admoueant, Pellant, Trudant, Excludant, Abalienent, Circumagant, Auersentur, Refrenent, Vexent, Abiiciant, Retorqueant, Deiiciant, Demoliantur, Diruant, Erigant, Eleuent, Extirpent, Distendant, Eradant, Abstergant, Eximant, Euacuent, Hauriant. Quibus omnibus non efficitur quo minus subiectis adiecta sint adnexa atque fixa: sed potius vt magis figantur; ipso enim in motu est fixionis, & perseuerantiæ sita facultas. Ne igitur hæc inde stabiliri desperes: neque. n. continuus motus sua stabilitate caret qua sit contínuus: sic vt & fortunam poeta sua in inconstantia constantem appellitat. Cæterum in varietate, multitudine, velocitate, & tarditate seruetur modus: nec careant conditionibus ad qualitatem adiectorum pertinentibus.

X.

Quemadmodum in subiectis ita & in adiectis euitanda est vniformitas. Quantum quippe valeat, natu-

ræque consona sit varietas ex supradictis desumi potest. Vnde & illud.

Per tanto variar natura è bella.

licet quidem eadem adiecta diuersis apponere subiectis: sed id in sepositis. atque post plurium interpositionem distantibus, actibus implicita differentibus. & secundum diuersas habitudinum species se habentia.

XI.

Illud etiam adiecta retinent cum subiectis commune, (cum conueniat, necessariumque sit ea subiectorum distinctionem consequi vt ipsa quæ ad vnum pertinent subiectum, non complectantur illa quæ pertinent ad alterum; sed omnem continuitatem, connexionem, constipationem, & ad mixtionem fugiant. Dum quippe diuersorum subiectorum adiecta vltro citroque actiones admitterent, atque motus: quasi inter se manus consererentia, aliisque occupata negociis frustra ad tuum auocabis obsequium.

DE ORGANO

I.

Reliqum est ut de organo, quo in proposito vtitur anima non-nihil determinemus. Non. n. agenti, sufficit ad completam cognitionem: formæ inducendæ, & subiecti formandi rationem habere: verum quoque vbi negocij vrget opportunitas, id quod est ab agente in subiectum formæ vehiculum operæ præcium est non omittere quid sit in sua essentia; item, quale esse debeat, & quomodo sit contrectandum.

II.

Nouem concurrunt ad rememorationem faciendam & memoriam. Intentio antecedens qua primum aliquis sensus extrinsecus, vel intrinsecus sit in actu ex hoc quod mouetur ab obiecto. Prouocatio imaginationis, vbi sensus commotus iam mediate vel immediate expergefacit imaginationem. Imaginationis motus passiuus quo pellitur ad inuestigandum. Imaginationis actiuus motus quo iam inuestigat. Scrutinium quo intendens imaginatio inuestigat. Imago, ut pote species memorabilis. Intentio imaginis, nempé ratio qua memorabilis efficitur in præsentiarum aliis exclusis. Præsentatio illius intentionis, quod. s. intentio illa præsens efficiatur. Et iudicatio qua apprehenditur eam esse intentionem illius imaginis.

III.

Inter hæc omnia quod scrutinium appellamus siue discerniculum (vtpoté quo cogitatio inquirit atque discernit) instrumenti rationem sortiri facilé constat: quod ita communi nomine insignimus: quippe cum ad nostra vsque tempora eius nulla facta fuerit consideratio: proprio celebrique nomine caret. Cuius nominis rationis, considerationisque carentia isti occlusit iter inuentioni: quandoquidem radix formandæ reminiscentiæ atque memoriæ, in cæco densarum tenebrarum latuit profundo. Est ergo instrumentum istud in facultate cogitationis, proportionatum baculo in nostra manu (vnde nominis instituti vel melius instituendi rationem habere possis) quo stantes iacentem aceruum, dimouemus, diruimus, atque dispergimus. Vt nobis castanea é medio glandium, vel é communitate aliarum castanearum determinata prodeat.

IV.

Et cognoscitur instrumentum istud ab actu. Cum. n. sit duplex virtus conseruationis videlicet & rememorationis : quæ cum (vt aiunt) sint re vnum, secundum rationem distinguntur ; sicut & vtrumque ab imaginatione, magis tamen meo iudicio. Virtus. n. con seruationis est in confinio virtutis memoratiuæ & imaginariæ: & quasi conterminat eas. Distinguitur igitur rememoratiua ab imaginaria : cum quandoque sine forma imaginabili, imaginabilis formæ intentio com-

prehendatur: quandoque vero eius intentione forma non exuitur. Hinc fit vt cum multa simul retineamus, multa simul imaginari non possimus. In iis ergo hoc est quod agit instrumentum, Discernit, Disterminat & Ordinat vel (si libeat magis iustificate loqui) est quo fit Discretio, Disterminatio, Ordinatio. Vnde á cogitatiua seponitur sibi in prospectum præsens de multis vnum, vnum inquam imaginatum vel vnius imaginem de multis retentis educit in propositum: Et sicut imaginatiua comprehendere dicitur, quid eius quod á pictore est in pariete descriptum; rememoratiuaque illius picturæ retinet intentionem: ita organum istud habet vicem deferentis & applicantis, vel magis eius quo fit delatio, & applicatio istius ad illud: ac si inuicem sint colligata: vt accidit in amplexu qui est in annulis cathenarum & similium. Ideóque quasi natura ipsa duce ad nostra vsque tempora hanc connexionem, locorum ordine emulabatur ars: vt vbi rem rei non valebat connectere, illud quod erat vnius post id ei quod erat alterius ordinabat: vnius inquam & alterius non proprium & pro ratione: sed appropriatum á præsenti positione: & hoc pacto quasi ex extraneis applicationem imaginis ad rememoratiuam aucupabatur. Ecce igitur scrutinij munus est vt vnitates (ita. n. dixerim multa vna vt verborum censoribus aliquid concædam) sigillatim capiendas per ipsum in ordinem disponantur. Quod ita accidit, vt cum centum ouium singulas singulis, atque diuersis numerorum notis vt 1 2 3 4 5 6 7 8 9, & aliis deinceps inusserimus: ipsis mox cateruatim, & confusé occurrentibus adeó vt alia aliam impediat: vt gregarius baculo has oues diuertit,

illas conuertit; has attrectat, illas allicit, quó suo singulas deducat ordine: ita cogitatio promptissimé aliis abactis: determinatum seligit aliud post aliud ipsa scrutinij virtute. Hic est locus considerandi á similitudine, quatenus veluti gregarius ex memoria ordinis numerorum, ordinem recipit ouium, quem per ipsas habere non potuisset: Sic nos facile genus artis inuenimus quo audita, vel visa numeris suo generi congruentibus formantes, ipso numerorum ordine, ordinem sentitæ rei deinde concipiamus, in tantum, vt scientes numerare perquam facile doceamus memorari. De formatione numerorum per omnia extat nostrum aliquid apud paucos. Et eius theoria est in libris Clauis magnæ vbi de numeris semimathematicis. Ingeniosis credo sufficere monstrasse nos in ista parte locum: vbi si non quod satis est insinuamus, forté pro congruentia loci vltra quam satis est expressimus. Nobis. n. ad paucos (vt gratias habeant) non autem ad omnes respicere consulitur.

V.

Est igitur scrutinium numerus quidam, quo cogitatio tangit modo suo species conseruatas, eas pro sua facultate Disterminando, Disgregando, Colligendo, Applicando, Immutando, Formando, Ordinando, inque seligendam vnitatem Referendo. Dicitur quidem numerus quia in nullo genere conuenientius potest collocari. Porro talis numerus est: vt nil sit quod per aliud quam per ipsum memorabilitatem possit induere, vel habere: non obstante quod aliis notum non

viderim ; nec per eosdem quoquo pacto definitum: ipsum in memoratione est necessarió concurrens principium (loca. n. habent vim non quia loca, neque quia imaginata: sed quia talem numerum in eorum ordine latentem habent) cuius rationem duarum differentiarum (quarum altera contrahit ipsum genus proximius, altera contrahit alteram vt melius possumus hoc pacto, explicamus. Numerus videlicet á quotuitate denominatus, dictus ad differentiam numeri denominati per quotitatem, quo responderemus quærenti quot sunt oues ? Et numeri denominati per quotuitatem quo responderemus quærenti quoties venerunt oues in occursum ? per ipsum. n. satis faceremus quærenti. Quota est ista ouis ? quota est illa ouis ? & ideo differenter per quotuitatem dicitur. Quæ cum duobus adhuc sumatur modis tum videlicet vt respondet per primum secundum & tertium: tum vt primo, vel secundo vel tertio suo occurrit vel occurrere facit ordine: iam in proposita iuxta secundam specificatur proximam differentiam ; non autem primam. Est. n. quotuitas practica non theorica, quæ. s. non in ratione sed magis propriéque in vsu consistit. Qui quidem vsus dupliciter accidit ; & videlicet primo cum quodam respectu habitudinéque determinata quadam , vt contingit iis qui per ingenium, rationem, & intelligentiam, recordantur : cum sciant de hoc esse dicendum , hoc esse proferendum , & post hoc sequi illud , & post illud rationabiliter aliud: in quibus proprie fieri dicitur reminiscentia, vt patet per famosam distinctionem ipsius á memoria. Et secundo sine apparente respectu : sed potius cum quadam magis absoluta (licet non vero ab-

soluta) ratione, vt nobis accidit cum vocum minimé intellectarum meminisse possumus, cuiusmodi extant illa Charontis apud Merlinum.

Est percor partes agrios labefacta ruinam.

& aliis eiusmodi in quibus nullus potest esse cogitatiuæ actus, nec distinctiuæ virtutis, ideóque eorum memoria esse potest; reminiscentia autem minime vt satis manifestum est iis quibus manifesta est alterius ab altero differentia. Cum igitur hæc applicatio non referatur ad memoriam cuius est recipere & retinere (vt diximus & probauimus demonstratiuæ in Clauis magnæ doctrina:) nec phantasiæ generaliter dictæ (utpoté quæ includit etiam in sua significatione sensum communem communiter appellatum) ipsa. n. non est nisi eorum quæ vel secundum integrum, vel secundum partes in sensibus particularibus & externis præxtitere modo suo. Nec certé cogitatiuæ, cum ipsa sit de apprehensiuis cognitiuisque facultatibus, eiusmodi vero quorum allatum est exemplum non sint, in apprehensibilium cognoscibiliúmque genere. Quæ nam igitur est illa potentia interior quæ ab aure perceptas illas voces ad sensum communem delatas vt voces tantum nudas, potuit intrudere in memoriam? certe si est cogitatiua (cum non libeat aliam internam fingere potentiam ex æquo cum cogitatiua memoriæ proximam pro intrudendis his) haud est nuda cogitatiua, sed scrutinio armata, quo non solum quæ quasi manu tangere potest, sed & ea ad quæ quasi manum extendere non valet, immittit in memoriæ promptuarium. Ex

quibus patet hoc instrumentum esse necessarió ponendum, cuius latentia multarum occlusit iter inuentionum.

VI.

Genus actuum scrutinio prosequutorum in quinque distribuitur species. Applicationem, Formationem, Immutationem, Adunationem, & Ordinationem, quæ sane perpaucis notæ sunt: Sicut. n. non omnes qui vident, & audiunt: quomodo vident & quomodo audiunt, & quid est quo vident, & quid est quo audiant bene norunt: ita & non omnes, qui applicant, formant immutant, adunant, & ordinant: sciunt quomodo hæc præstent, & quid sit quo præstent. Notum satis est in vniuersalitate & confusione quadam hæc á ratiocinante anima produci: Sed non admodum quibus proximé potentiis, facultatibúsue, & organis: nec vt desideramus ante nos apparuit qui hæc fuerit rimatus intimius quam quidam ex Arabibus qui versati sunt circa Peripateticam disciplinam à quibus nonnulla prætacta sunt. Sed si nos hæc omnia per singula velimus in notitiam deducere : maximum aggrederemur negocium, & difficile ad communicandum; præsertim cum videam temporibus istis perpaucos veré philosophos vt in præludij significatum est sententiis: mitto quam aliquorum nominum nouitas quam nouæ exigunt inuentiones, atque considerationes, plurimos lederet: hac de causa SILVI A BONIS, atque etiam quia ad negocium istud quod ad praxim præcipuó dirigitur non spectant necessarió : illud ergo maximé animaduertendum est quod de scrutinio cum quandoque enumeratis nunc ordinate subinferemus.

VII.

Pro applicatione notandum quod dicitur facultates istas analogiam & ordinem inter se retinere vt sensus exterior sit circa corpora; Phantasia circa corporum simulachra. Imaginatio circa singulas simulachrorum intentiones: Intellectus veró circa singularum intentionum naturas communes & rationes pœnitus incorporeas. Ex qua analogia sequitur (vt alibi monstrauimus) quod sicut extat ars quæ sensum externum allicit, trahit, atque ligat: ita est quæ allectat, atque tenacissimé vincit. Cur ad vuas per Zeusim depictas accursabant volucres? cur Venus á Praxitele sculpta vix ab amatoribus pudica seruabatur? quia artificum forma quædam ita suum subiectum rebus applicabat: vt eas intensius exquisitiusque discerneret; nec non sedes vnde præcipuè & [vt ita dicam] capitaliter species irrepunt in sensus inueniret. Licet autem [vt supra dictum est] principium istud omnibus sit commune: non tamen vniforme esse in omnibus satis est planum: quibus enim aptius atque temperatius est instrumentum (puta corpus) clariores sunt animæ.

VIII.

Anima clarior diuinis Ideis magis exposita intentius obiectorum formas suscipit: quemadmodum qui acutioris visus est, facilius aptiúsque discernit. Formæ. n. in corporibus nil aliud quám diuinarum idearum imagines esse censentur: quæ eædem in sensibus hominum

internis, quo melius nomine intitulari possunt quam diuinarum idearum vmbræ; Cum ita á realitate distent naturalium; sicut naturales á veritate distant methaphisicalium? Harum quidem specierum aditum in intellectum potius crediderim immediate fieri per conuersionem ad lumen illud quod agit in nobis intelligentiam: quam mediantibus rerum physicarum formis intus per sensus exteriores ingestis. Ex vna tamen parte vno experimur modo, ex alia vero alio. Propterea expedit vtramque opinandi viam sine contradictione complecti: quod quomodo fiat alibi demonstravimus; & tu ex temetipso si in communissima versatus es philosophia, per hæc poteris determinare. Huiusce sané oculi nisi in te vigeat emissio per applicationem: qui fieri potest vt per ipsum in cæteras interiores animæ potentias scibilium speres consequi immissiones? quid. n. aliud est non appellere, quám clausos habere oculos? quid aliud est claudere oculos quam in vmbra (vt aiunt) mortis versari? non ne á rerum veritate vsque ad ora vulgi transmissum est; vt equiualeat quempiam clausisse oculos & esse mortuum?

IX.

Pro formatione vero quæ sequitur applicationem: illud primo animaduertendum, eius totam vim in modo & specie applicationis esse sitam. Potentia. n. generaliter apprehensiua habet illud cum materia commune: vt in se ipsa, & ex seipsa nil sit præter sinum & conceptaculum: nullum elementorum in se odorem habet aliquem, vel saporem, vel calorem: con-

currentibus tamen illis fama est, in diuersos ordines atque gradus, omnem prodire colorem, saporem, & odorem. Ignis alteri corpori admotus lucet; insuper & iuxta corporum varietatem diuersimodé in melius, atque deterius splendescit. Id sané non habet ignis in se, nec corpus alterum in se, sed ambo habent virtute applicationis. Iam habes per similitudinem, formationem tum intellectus, tum memoriæ consequi applicationem, tanto meliorem; quanto, & antecedens melior extitit applicatio: & huius efficacia maxima ex parte in scrutinij manuductione consistit.

X.

Sunt qui velint formas facilis reductionis esse illas quæ sunt apud virtutem imaginatiuam atque communem sensum, multæ corporalitatis & modicæ (inquiunt ipsi) spiritualitatis. Formas vero difficilis reductionis, esse multæ spiritualitatis & modicæ corporalitatis. Id quidem ita sibi suadent quia formæ multæ corporalitatis morantur dum sensus communis spiritualitatem ab earum corporalitate distinguit; vnde formam illam fixari in ea contingit; idque præsertim cum eam pauci corticis recipit. Hinc reciproce inferunt hominem tardi motus in cuius anima figuntur sensibilia quæ transierunt: melioris esse rememorationis. Quæ omnia habent quandam leuem persuasionem quæ quidem cum verbis explicantibus ipsa similia sunt opinationibus & sermonibus somniantium. Constituunt. n. memoratiuas species alias veloces, alias tardas, alias tempestiué, alias maturé; alias figurari per equum

Martini, alias per equum Georgi, quod dicere & sentire non convenit grauitati illorum. Quidquid enim sentiant: nunquam corporalitas quá corporalitas, seu proprius dicas corpus qua corpus est, quippiam agere intelligi debet imó vniuersaliter asserendum à corporalitate non esse actionem; á maiori minus esse, à maxima minimè, quia corpus quatenus corpus non agit, omnis. n. actio est à qualitate, & ab eo quod spiritualius est ipsa qualitate; magis, & ab incorporeo maximé. Vtlibet ergo intelligantur verba illorum famosorum virorum euitare nequeunt semper inconueniens, & si velis eos excusare quod non corporalia agunt magis quia corporalia, sed quia multum morantur & sunt vehicula accidentium, á quibus informationes efficiuntur quæ morantibus corporibus morantur; & morantia figuntur magis. Hæc excusatio non potest capi nec retineri quominus obiter euomatur á verbis illorum, leuissimíque stomachi sententia. Mitto quod magis rudes sunt magis morosi, & magis morosi magis rudes: nec obstat quod experimur nos morantes in consideratione vnius rei magis memores reddi quám leui consideratione præter labentes, experimur enim etiam atque non minus, nos quædam sine mora audita atque visa vel etiam considerata in sempiternum recordari, alia vero diutius attentiúsque visa & considerata, minimé retinere. Haud igitur in mora & corporalitate est virtus, imo in ipso contrario maximé quod ad corpus attinet. Quod vero ad alterum non est mora quæ facit fixionem: sed formæ actiuitas, videtur autem mora conferre aliquando: quia forma aliqua non apta vel nata est citó agere, vel subiectum citó recipere, ideó·

que morando perficitur actio. Vbi vero forma est spiritualior, est & actiuior. Hinc ignis actiuissimus est omnium elementorum, quia spiritualissimum est inter ea, & potentissimum ad conuertendum in se, & data materia solus per se in infinitum crescens. Qui etiam si multum agit: non quia multus est, & magnus, agit, vtpote propter multam corporalitatem: sed propter intensiorem qualitatem, quæ consueuit seruari in illa magnitudine: quae quidem qualitas (vt notant quidam Platonicorum) si posset reduci in medietatem illius magnitudinis: intenderetur adeo magis, vt duplo potentius ageret, si in minimam quantitatem, maximé potentior: si in indiuiduum infinite potentior. Ex his ergo considerari potest quam inconsiderate dicti philosophi loquuti sint.

XI.


Hinc etiam patet quam imperité (etenim hoc notare non est sine emolumento eorum quæ ad præsens institutum spectant) equini quidam medici proferant illud vulgatum. Non qualitas, sed quantitas. Cum ad eorum propositum oppositum totum proferri debeat. Esto. n. quod qualitas tantæ virtutis non sit infra tantam quantitatem, & in multa quantitate multa qualitas conseruetur: nunquam tamen actiuitas refferri debet ad molem, totúmque illud quod est pertinens ad rationem materiæ, extensio. n. ipsa ordinata est [ipsis etiam iudicibus] ad continentiam: qualitatis, atque formæ. Ferri id tamen potest si ab Apotecariis eorum dictum fuerit: quia recipiunt precium iuxta quantita-

tem quæ est in ponderibus, numeris, & mensuris, quidquid sit de qualitate simplicium, pharmacorum, & aliorum confectorum; & idcirco, vt existimo, quidam ex eis in suo insigni notatum habebat in nostra patria. NON QVALITAS SED QVANTITAS. quamuis. n. constaret eum hæc retulisse ad porcum depictum de quo non quæritur sicut de equo, an concinnos habeat oculos, parvas auriculas, contractam ceruicem, latum pectus, minacem frontem, os arrectum, crura soluta, & id genus alia, sed duntaxat an sit latus longus atque pinguis, id tamen non minus conuenienter subinde poterat á porco ad id quod erat intus in apotheca referri. NON QVALITAS SED QVANTITAS, vtpoté pia mater, quæ dotauit filias & doctorauit filium.

XII.

Adunatio uero & immutatio, licet sint duo actus: simul tamen fiunt. Immutando enim fit adunatio; adunando fit immutatio. Horum rationem ita aperimus. Dixit Heraclitus, si omnia entia fumus fierent: nares omnia discernerent. Dicamus crassius. Si omnia præter Vulpem in gallinaceos conuerterentur frustra non esuriret vulpes, omnia .per vulpem essent vorabilia. De potentibus omnia suo modo conuertere, vnum est hominis phantasia: de potentibus omnia suo modo vorare, & degustare vnum est hominis cogitatiua. Tale conuersionis genus poterit attingere (non sine cogitationis actu) phantasia; vt omnia memorabilia potenter reddat non absque phantasiæ actu cogitatiua. At inquies oportebit phantasiam conuertere omnia aut

in vnam speciem, aut in plures : si conuertat & reformet in vnam; iam non erit multorum memoria, sed vnius : si quippé omnia conuertantur in ouem : iam lupus non multiplicabit comestibilium speciem vt dici possit præter vnum quippiam illi esse comestibile. Si conuertat reformétque in plures species : aut finitas, aut infinitas si finitas : aut determinatas & istas cognoscerė & aut determinare opportet ; aut indeterminatas, & ita erimus in eodem in quo sumus. Infinita vero tentare stultum est. Scire igitur oportet conuersionem non ita fiendam vt substantialis diuersitas destruatur ; nec vt accidentia vnius cuiusque rei propria tollantur: Sed vt diuersa atque omnia ita vna illis applicita adueniente forma, afficiantur modo suo: vt vnam ab vno, & per vnum memorabilis subeant rationem : Sic omnia lupus iste ingurgitabit vt vnum: si omnes substantiæ & quæ inmediate consequuntur eas vnius generis accidentium indumenta subibunt.


A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z φ ω θ
A

Sicut ad eandem vocalem in centro circuli innumera si esse, & imaginari possint elementa relata; (non ablato quod eorum singula suam diuersitatem retineant) omnia vnius sonantiæ modum subeunt: imo tantum abest vt per vocalis applicationem subcludant suam essentiæ ab aliis diuersitatem: vt per illam magis eadem insinuare valeant. Sic & vni spiritui pluribus appositis organis diuersæ pro eorum propria ratione producuntur voces. Quid ergo est quod disperans non disponaris, & quasi accingaris ad aliquam de innumeris possibilibus tibi speciem comparandam; in phantasiæ & cogitatiuæ conterminio situandam: qua vniuersa sicut in libro spectabilitatem, ita & in anima memorabilitatem induant? Hoc est quod tuæ relinquimus industriæ ô quicunque es ingeniose. Intueare quid præstiterit modus inventionis Pan Archadiæ Dei cum primus calamos coniunxit agrestes: hæc quæ diuersis iam acta ingeniis non facile olim consonare solebant: iam vnico eiusdem spiritu, in vnum quasi imparibus compactum cicutis in missorum, ablatam dispersionem, adunionemque factam, quam commode præstat vnus.

XIII.

Pro hoc quod ad ordinationem attinet, vulgatæ sunt (licet ad rem minus & modicum relatæ) propositiones ab ista pendentes, quæ consideratis iis quæ per nos extant enucleata melius vsuuenire possunt. Principaliter ergo contingere dicitur reminiscentia, cum motus iste huic motui de necessitate succedit,

vel motum istum hic motus concomitatur: siue id sit locali, siue temporali, siue rationali, siue naturali, siue artificiali, siue quomodocunque aliter positiua concomitantia, atque vnius post alterum successione. Ad quem sané modum, progredimur á memoria niuis ad memoriam hiemis; Hinc ad eam quæ frigoris. Hinc ad eam quæ antiperistasis: Hinc ad eam quæ intendentiæ caloris in stomacho: Inde ad eam quæ potentis digestionis; Ab hac in appetitum, & viuacius nutrimentum; robur, & exercitium; & ita deinceps in hoc. In aliis omnibus similiter. Si quid vero habet naturam carentem ordine: ad aliud ordinatum referatur: atque innitatur: quod quidem semper esse debet aliquod sensibile: quamobrem non temeré á ratiocinativo philosopho dicitur ordinem propria natura sensibilium esse: & non cognoscit ipsum extra margines naturæ. Vnde si quæras ab illo quid est ordo? est inquiet progressus rei secundum viam naturæ. Quid est ordinis carentia exitus inquiet á via naturæ. Hæc sunt quæ de organo, & ad organum scrutinium pertinentia volumus esse dicta: quæ si attentius contemplaberis; nihil est quod ne ad vlteriora progrediaris impediat: ex iis. n. remoueris ab eo, quod ad consequentes actus occlusum faciebat iter. Et certé facere non potuimus; ne sub titulo theorices sufficienter apponeremus ea, quæ per se ipsa praxim complere valeant.

TERTIA PARS

I.

Age iam ad operandi formam transeamus insinuandam. Tanquam præludiis agentes, ab elementorum simpliciorúmque notitia, ad compositi integri, atque perfecti considerationem deueniamus.

Primum igitur ad eorum similitudinem qui prius manum paginæ docent admouere quam oculi ad inscriptos caractheres coniiciantur: proponimus ante apparanda subiecta quorum præcesserit memoria: vt ipsorum virtus & efficacia discooperiatur hunc in modum. Sumatur subiectum commune idque primo in partes eius maiores distribuatur, quæ ex instituto saltem operantis sibi succedere debeant: quæ partes maiores, subiecta magis propria superius sunt appellata. Hinc ad subdiuisionem procedatur; vt partes istæ ad inuicem finiri, & ordinatæ sibi inuicem succedere perceptæ, in loco contiguitatis veræ, vel positiuæ describant sibi alias partes, quæ subiecta propriissima indiuiduáque sunt : quæ multiplicari debent iuxta rationem latitudinis subiectorum magis propriorum, & commodum occurrentium sedium adiiciendorum.

II.

Quibus ita dispositis & prompté memoriter habitis adsit cathalogus diuersarum rerum sensibilium, quæ primo numero sint viginti & quinque, deinde quin-

quaginta, mox centum: vt gradatim exercitationis beneficio exoptata comparetur disciplina; cum hoc quod optimé videbitur quemadmodum ea quorum ordo naturalem memoriam suggeret: merito subiectorum quibus distributa sunt & applicata; ordinate tibi non minus quam si in pagina essent exarata occurrent: vt ab vltimo ad primum eadem facilitate possis incedere, qua á primo ad vltimum accedebas. Item & quomodo libet ordinem referendorum inuertere; ad hoc ipsa locorum sensibilitate conferente.

III.

Proinde visa subiectorum efficacia ad adiectorum rationem transeamus quibus non tanquam leui fragilique fundamento naturalis innittitur memoria. Adest ergo duplicis generis memoria, terminorum videlicet atque rerum: quarum hæc simpliciter admittit necessitatem: illa veró in aliquo quodam genere, vel in eo quod per ipsam acui creditur memoratiua facultas ad propriæ functionis expeditionem: grauiora. n. passi minorem difficultatem & arduitatem non sentire consueuimus: vel quia alicuius facultatis fert consuetudo, cum occurrentia propositi atque sententiæ in initialium verborum expressionem requirere, vel quia rebus accidit vnicum propriumque nancisci nomen idque non satis in promptu, vt sunt herbaram, arborum, mineralium, seminum & id genus aliorum, quorum conceptum habere minimé sufficit: vel tandem quia sæpe sese offert occasio proferendi verba, quorum minimé rationem habemus.

IIII.

De generibus quibus res ipsæ adiiciuntur, explicantur, séque inuicem insinuant : alibi declarabimus. Pro genere autem istius facultatis satis tibi apertum iter ex antedictis : necnon habes optimam magistram atque ducem tum intrinsecam, tum extrinsecam naturam, quæ te per rationem insitam & obiecta præsentia semper illuminat.

V.

Modorum quoque quibus termini adiiciuntur plurimi, & innumeri occurrere tibi poterunt dummodo fueris in agitatione Clauis magnæ peritus (illa quippe fons est omnium inuentionum) eos qui nobis commodiores visi sunt in diuersis locis diuersos explicamus. Modum vnicum quo ad nostra vsque tempora vsi suut antiqui prorsus contemnimus, quia laboriosus est multámque requirit exercitationem , nec certæ est ab omnibus assequutionis.

VI.

Perstrinximus igitur intrinsecæ lectionis latitudinem illam & longitudinem compressimus : iis. n. oculum phantasiæ disgregantibus atque distrahentibus, maius causabatur negocium,quod artis difficultate exercitationísque prolixitate, dignioribus intenta negociis ingenia repellebat. Quid. n? indiuiduo subiecto per

vnicum adiectum vnicum tantum (vt in pluribus) committere licebat elementum, quippe cum innumerabiles habeantur combinationum & compositionum differentiæ. Qua de re qui primus apparet hanc artem transtulisse á Græcis ad Latinos: deridet Græcorum quorundam studium verborum imagines conscribere volentium, atque ita eas sibi parare, vt cum opportunæ fuerint in inquirendo tempus non consumetur. Videbat. n. verborum infinitam esse multitudinem, ideoque ridiculum esse illam persequi velle. Atqui nobis non solum possibile sed & facile compertum est posse apparatas haberi imagines, quibus singulis quibusque locis cuiuscumque generis terminos integros apponam, idque pluribus modis, vt in pluribus tractatibus ad diuersas ordinatis intentiones manifestamus: In presentiarum vero per hunc qui sequitur proponatur modum.

Prima praxis quæ vocum est.
De fixione rotarum.

I.

Ad ordinatam parandam exercitationem: primò elementorum prompta habeatur conceptio: elementorum inquam illis adiectibilibus explicabilium, quæ ad omnes producendas actiones nec-non ad passiones omnes recipiendas sunt aptissima.

II.

Ex iis ergo triginta tuæ notitiæ melius inhærentes ad triginta elementorum expressionem faciendam eligantur: quæ completum reddunt numerum, eorum quæ diuersis inseruiunt in tribus idiomatibus pronunciationum differentiis: neque. n. necessarium est triplex instituere elementarium, cum A ipsum equiualeat ipsi α & א B. ipsi β & ב. similiter & alia multa aliis. Vbi vero super nostri generis elementa sunt Græca vt ψ ω θ & vltra hæc & illa, sunt Hebræa: propriis sunt notata caracteribus. Et ita vnum simplex elementarium deseruit tribus linguis & iis quæ illis sunt subalternatæ.


A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Ψ Φ ω θ

III.

Triginta igitur adiecta promptitudine citra omnem dilationem possibili tuæ se offerant phantasiæ, dum alius vel tu te intentes ad prompté respondendum quid pro singulis elementis ordinate, regressiué, & progressiué, item & inordinaté propositis habeatur.

IIII.

Quo quidem peracto, ad tribuendum singulis singulas appropriatas operationes procedatur: quæ omnes sint ad oculum sensibiles; quæque non sine corporis motu prosequantur. Tu prout tibi commodius videbitur ordinabis atque statues: nos interim eiusmodi sub typis proponemus Agentes & actiones.

Lycas in conuiuium	AA
Deucalion in lapides.	BB
Apollo in pythonem	CC
Argus in bouem	DD
Arcas in Caliston	EE
Cadmus in satos dentes	FF
Semele in partum	GG
Echo in Narcissum	HH
Tyrrhenus nauta in Baccum puerum	II
Pyramus in Ensethe	KK
Mineis in lanificium	LL
Perseus in caput Medusæ	MM
Athlas in cœlum	NN

Pluto in Proserpinam	OO
Cyane in stagnum	PP
Arachnes in telam	QQ
Neptunus in equum	RR
Pallas in oliuam	SS
Iason in Tauros	TT
Medæa in cacabum Esonis	VV
Theseus in Scyronem	XX
Filia Nisi in paternum crinem	YY
Dedalus in alarum structuram	ZZ
Hercules in Antheum	ψψ
Orphæus in lyram	φφ
Ciconės in Orphæum	ωω
Esacus in precipitium	00
Mennonis in sepulturam	yy
Arion in delphines	𝔵𝔵
Glaucus in herbam.	𝔴𝔴

In quibus non requiritur necessarió primum nominis agentis vel actionis elementum; idem esse cum illo cuius est expressiuum: sufficit enim ambo hæc determinato huic significando esse adscripta.

Rotam igitur primó immobilem intra alteram immobilem ita situabis: vt exterior homines; interior autem appropriatas denotet actiones.



V.

Quibus fœliciter succedentibus ad vlteriorem fiat progressus operationem. Placeat inquam homini & hominis actioni addicere instrumentum vel insigne non quidem quod ad illius tantum referri debeat actionem, sed quod sit omnibus vt fieri potest adaptabile vel saltem omnibus in operibus obeundis compatibile. Non. n. ideo fixæ figurantur hæ rotæ vt maneant perpetuo: sed vt vnius adiecti appropriata nostræ figantur memoriæ: vt cum huc, illucque prodeunt: semper atque statim referri possint ad illum (vt in vlterioribus patebit) ad quem præsentia sunt ordinata. Habet ergo Lycas cathenam, Deucalion vittam, Apollo baltheum, Argus caputium, Arcas peram, Cadmus antesinale, Semele suppositam sedem, & ita deinceps alij alia, quæ licet singulis sint propria: sunt tamen pro viribus omnibus appropriabilia quod quidem magis est curandum. Ratio. n. praxis vltimæ atque profectio; rationi praxis initialis est præferenda.

Rotam igitur secundo immobilem intra duas alias immobiles pro appropriatis duobus: quæ ad hominem referuntur constanter nanciscendis collocato: quatenus perpetuo naturam elementorum vbicumque ponantur, & quomodocumque disponantur præsentare queant. Rotæ fixæ mentis oculo conspiciendæ sunt huiusmodi.



Ibi exterior significat homines Media proprias actiones. Interior vero insignia hunc in modum.

A Lycas	*A in conuiuium*	*A cathenatus*
B Deucalion	*B in lapides*	*B vittatus*
C Apollo	*C in Pythonem*	*C Baltheatus*
D Argus	*D in bouis custod.*	*D caputiatus*
E Arcas	*E in Calistum*	*E peratus.*

Similis de aliis esto institutio, ordinatio, & iudicium. Vbi vero ad tertij elementi significationem instrumentum addere contigerit (quamuis hoc minus commodum sese offerat, accidit enim actionem appropriatam, vel contingentem non pati in manu tale appositum) ipsum pro commoditate imaginetur aliquo adiectum vel alligatum vel interiectum pacto, vt operationem Turbet, Adiuuet, & vel Abiiciatur, Euertatur, Eximatur, Extricetur, Euacuetur, Ruat, Incidat, vel quomodolibet aliter pro operis congruentia se habere possit: Cæterum incomparabiliter conuenientius est insignire: quippé cum sine vlla difficultate insignia possint ad omnes referri & applicari.

VI.

Consulto plané industriæ tuæ committere placuit inueniendas congruentes actiones, & organa, siue insignia, sicut enim singulis peculiares determinatorum hominum sunt magis notæ & celebres effigies: ita etiam (cum trahat sua quemque voluptas) habent singuli quibus operibus instrumentis & insigniis, sollici-

tentur magis, magisque in affectus concitentur. In superioribus. n. Ianuæ memoriæ dicebantur affectus; hósque potentiores, patentiores: ij vero nec iidem sunt, neque ab iisdem emanant principiis in omnibus.

De motu rotarum.

I.

Apprimé igitur præsignatis rotis mente fixis quoad quid cuique conueniat immobiliter habeatur in promptu: tempus est vt ad maiorem praxim hunc in modum expediaris, vt primo primam compositionem quæ duobus constat elementis quibuscumque veneris. Vides primam figuram duabus constantem rotis fixis. Iam exteriori in sua fixione perseuerante; soluatur interior. Cuius olim fixio ad habitum eius qui debet esse fixus spectabat: nunc pro actu qui ratione multorum operabilium, atque innumerorum debet esse innumerabiliter multiplex: vndique reuoluenda occurrit.

De motu rotæ interioris primæ figuræ pro compositione qualibet ex duobus elementis presentanda.

II.

Operatio inquam quærat vnius propria: iam reddatur omnibus in circulum communicabilis. Proindéque cuiuscumque pro exigentia constituendæ compo-

sitionis adaptetur. Lycaon in conuiuium geminatum tibi reddebat elementum AA. dum A rotæ interioris esse sub A rotæ exterioris, item Deucalion in lapides BB. Iam discurrente rota non geminum sed duplex habebis elementum: Nempe cum B rotæ inferioris mouetur sub A rotæ superioris: Iam non est tibi AA Lycaon in conuiuium sed Lycaon in lapides conuertendos. Deucalion in Pythonem exanimandum, Apollo in bouem custodiendum & ita deinceps singuli proximorum capiunt operationem, nouis aliis succedentibus elementis. Vis ergo combinationem PA refferre? pone A rotæ internæ sub P, rotæ externæ presentabunt tibi per Platonem in conuiuium. Vis combinationem RE? pone E rotæ interioris sub R rotæ exterioris presentabitur tibi per Neptunum in Calyston confodiendam. Similiter combinatio SI per Palladem in Baccum puerum. VO per Medæam in Proserpinam rapiendam. Habes igitur quomodo ad compositionem duorum elementorum ad sensum presentandam procedatur.

De motu internarum rotarum secundæ figuræ & compositione qualibet ex tribus elementis presentanda.

III.

Item in secunda figura duabus internis rotis ad vertiginem solutis & expeditis compositum quodcumque ex tribus elementis presentare valebis; ita vt vbi in tribus rotis fixis. Lycas in conuiuio cathenatus presentabat tibi AAA. Iam Lycas agens quod Medusa,

cum insigni Plutonis presentabit AMO. Arcas cum actione Semelis, & insigni. Plutonis presentabit EGO. Medea agens quod Tyrrhenus cum insigni Persei, presentabit VIM. & ita multis modis variando elementa mediæ, & intimæ rotæ, sub elementis singulis rotæ exterioris : quascunque imaginabiles ex tribus elementis combinationes poteris ad libitum producere.

De compositione qualibet ex quatuor elementis presentanda per vnum modum.

IIII.

Si veró acciderit adiiciendum compositum ex quatuor elementis; non est necessarium quartam supponere rotam: non. n. elementis omnibus sed paucis quibusdam accidit quartam in combinatione sedem obtinere: vt S. quod combinatio M E N S habet quartum, & T quod combinatio D A N T quartum habet. Ad hanc igitur quarti elementi presentiam designandam quid opus est orbita; sufficit aliquod determinatum accidens vel adsistens cum aliqua habitudine ad subiectum vel adiectum imaginari, quorum alterum istius; alterum verò alius sit indicatiuum.

De altera similiter ex tribus elementis alio ordinatis modo presentanda compositione.

V.

Est & alter modus quo quartum elementum tertio super additur; nempé L. R. & N. mediantibus inter elementum adsistens & subsistens vt in prima combinatione huius compositi T R V N C V S. in secunda huius compositi I N C R A S S A T V S. In tertia huius compositi P E R M A G N V S. Ad quorum elementorum præsentiam atque locum denotandum; aliquos se habendi modos, vel accidentia sensibilia in subiecto, vel cum subiecto, vel ad subiectum poteris destinare. Ad ipsum mihi conferre solebat rationale adiectum quod vel sedens tertium, vel innixus secundum, vel stans primum adsignificabat. Quod si alia elementa præter hæc se obtulerint, quod vix apud Latinos Græcos, Hebræos, Chaldeos, Persas, Italos, Arabes, & Hispanos, accidere potest: hac luce qua vides nos subuenisse presignatis tribus: cæteris aliis prouideto.

Quod vero ad Gallos attinet (de Germanis enim Gothis Scythis & id genus aliis ipsi viderint) qui non ex idiomatis rusticitate, sed nescio quo vsu quáue consuetudine ad discrimen aliquod insinuandum quiescentia quædam admittunt elementa: non est quod tibi negocium facessat: manet. n. sine superadditis illis integra ad rei proferendæ necessitatem scriptura. Hinc non desunt inter illos minimé non grauis inge-

nij homines qui eam vendicare nituntur á quadam apparentis inculturæ iniuria.

De compositione qualibet ex quinque elementis presentanda.

VI.

Pro composito quinque elementorum, non est quod nouum aliquid adducamus, sed quod propositis vtamur vel (vt planius dicam) coutamur: aliter. n. non accidere potest: quam duobus proximé dictis modis concurrentibus. Vtpoté super additis S & T in quartum elementum, et intermediantibus LR & N in quintum: vt in combinatione PLEBS in prima combinationis TRANSACTVM. in vltima combinationis STVPRANS.

VII.

De compositione qualibet ex pluribus elementis.

Pro vno autem vel duobus particularibus, iisdémque minimé celebribus: quid opus est nobis curas excitare si sint ex pluribus compacta elementis? Hæc ipsa minima conditione addita, quatuor vel quinque presentanti compositio poterunt commode insinuari. Talia vero nescio an sint plura præter istud vnum SCROBS, cuius tamen rememorationem facere potest compositum ex quinque SCROPS propter suam vocis affinitatem.

VIII.

De V post Q.

Neque illud silentio præterire volo notandum in interiori scriptura (licet non inter ad propositum necessaria: sed inter vtilia tantum reponendum). v. post Q non ponere in numerum: tantum. n. Q sine v quantum cum illo valet. Nunquam. n. seorsum ab illo vsuuenire consueuit. Ita vt plané QV vnius duntaxat vim obtineat elementi: vnde vbi occurrerent elementa vendenda prodesset scribere. QVINTE QVINTE QVARE QVADRVM QVINTVM, QVATIS? vbi vero necessarium esset emere: non obesset scribere. Qare qinte qatis qadrum qintum? ita & qui vanis vti consueuere literis sine integritatis & maioris preiudicio culturæ: exteris eorum linguæ frustra in propria patria studiosis melius præstarent officium.

IX.

Ad internum subiectorum campum amplificandum & adiectorum numerum fœlicissimé multiplicandum.

Post quam expeditius paucis adiectis, & arctius subiectorum numero fueris operatus. De subiectorum multiplicatione nil addam præterquam quod ad multiplicandorum qualitatem attinet. Considerato inquam quæ horum tenacius, quæque lentius adiecta retine-

re consueuerunt; & rimatis effectibus & defectibus vnde proueniant quod per doctrinam á nobis expressam intentabis: alia ad eorum tibi compares similitudinem.

Pro multiplicatione vero adiectorum non modicam tibi triduo facultatem hoc etenim animaduertens principium vnde manat in aliis negociis celebrem tibi poteris vsum suppeditare: á proportionalibus. n. conuerti possumus ad alia proportionabilia comperienda.

Habebas ad numerum elementorum trigīnta viuacissima adiecta, quæ in breui tibi poterant deseruire scriptura; nunc iuuat in immensum (si fuerit opus) dilatata pagina: multiplicare in innumerum dictionum adiectionem: etenim incommode succedit si eiusdem formæ eadem numero adiecta sæpe sæpius reponantur cum ad internam scripturam ea requiratur varietas quæ minimè requiritur ad externam, vt satis est in hac se praxi exercentibus manifestum. Quid ergo? Sicut habebas vnum numero Lycaonem, Deucalionem &c. Iam duo tibi finge numero Lycaones & Deucaliones & alios ita vt vbi triginta tibi aderant nunc vsu tibi veniant sexaginta. Si triplicrabis, habebis nonaginta, si quadruplicabis, centum & viginti. Omnes quorum optimé nosti imaginem melius tuam pulsare phantasiam coge in numerum triginta radicalium nominum. Quod enim aliud eis sit proprium nomen nihil impedit. Manebit. n. perpetuo Philotheus Deucalionis nominis caracthere intinctus si semel inter iactantes lapides adnumeretur & adscribatur. Quam celebre sit hoc inuentum melius per vsum &

applicationem ad alia quam per ipsam poteris comprehendere superficiem.

Secunda praxis quæ terminorum simplicium est ad quamcumque compositionem de pluribus elementorum combinationibus præsentandam.

I.

Praxis veró magna in quam properat prima praxis adulta, quæ quidem loco quo illa initialis tibi elementorum tribuebat combinationem: ad completorum terminorum explicationem: combinationum tradit compositionem; ita vt ad subiectorum numerum, valeas perfectorum adiectorum (quæ termini incomplexi atque simplices appellantur) apponere, moxque accipere numerum.

II.

Id quidem hoc efficitur pacto. Sicut ad triginta elementorum numerum; triginta tibi statueras agentes actiones & insignia, circumstantias, & adstantia: Ita nunc ordinate disponas centum quinquaginta: quod fit singula adsistentium elementorum per quinarium subsistentium deducendo. Paribus ergo conditionibus quibus elementarium constituendum docuimus: intelligamur combinatorium docuisse.

III.

Per ea quæ diximus ad graphicæ dilatationem: producta sunt famosissima nomina; quatenus ad eam quæ in arte ista necessaria est varietatem maximé conducit, & quædam principalia celebrioráque nomina illa quæ tibi adiicienda sunt tanquam centurias sub vmbra & ala triginta vexillorum reportes. Nunc ad amplissimam operationem, singulis propositorum vexillorum per quinarium quinque subsistentium elementorum deducendis, alia quinque subternamus vexilla.

IIII.

Sič ergo melius tibi noti ad hunc vexillorum numerum referantur, ita vt singuli eam obtineant sedem, quæ pro eorum qualitate eisdem melius videbitur conuenire. De vexillis vero quæ frequentius militare consuescunt; maiores sibi copias adsumant: ex iis. n. sunt quæ vno vel duobus tantum contenta sunt militibus. Per æqualitatem igitur proportionis non per numeri æqualitatem iusté cum omnibus est agendum.

V.

Tu ergo ipse ordinabis tibi centum & quinquaginta nomina, quæ vel á propria appellatione, vel á consueta actione, vel affectu proprio, secundum ordinem

quo adsistentia sunt ordinata; ordinatéque quinque subsistentibus informantur. Quo facto, ad ordinationem horum vel aliorum (si decentiores habueris) subsistentium partium & artium (vt ipsis adhæreant per actiones & in artes denominabiles) reduces, vel notorum tibi nomina huic qui sequitur ordini é regione apponendo; vel aliter vt tibi commodius fuerit, á nobis appositis disponendo, aliis quorundam loco succedentibus vtens, incertam seriem reducendo: ita vt cum relatione ad easdem vel alias circumstantias, eadem vel alia insignia, & adsistentia recipiant.

VI.

Conficies igitur ad similitudinem trium prædictarum rotarum: quinque rotas fixas, quarum singulæ centum & quinquaginta constent combinationibus elementorum duorum. Quorum exterior atque prima significet agentes sub inuentorum nomine. Secunda actiones. Tertia insignia. Quarta adstantia. Quinta circumstantias. Adducuntur autem hæc ipsum in modum vt quibus iuxta vnam propriamque non inseruiunt: iuxta aliam opem adferant vniuersalem rationem.

Quoniam difficile est quinque rotas in modicam contrahere latitudinem, vnam tantum apponimus ad cuius similitudinem sunt aliæ: eandemque non extensam sed contractam. Quandoquidem triginta præcipua vexilla ordinantur in circumferentiam: & suballernata singulorum quinque ordinantur in scalas á singulis ad medium



AA Rhegima	panem castanearum	1
AE Osiris	in agriculturam	2
AI Ceres	in iuga bouum	3
AO Triptolemus	serit	4
AV Pitumnus	stercorat	5
BA Erichtonius	in currum	6
BE Glaucius	ferrum extendit	7
BI Thraces	in falcem	8
BO Misa	sale condit	9
BV Pyrodes	Silice ignem excutit	10
CA Hasamon	Transplantat	11
CE Phega	inserit	12
CI Belhaiot	in Asinum vectorem	13
CO Pilumnus	frumentum terit	14
CV Oresteus	curat vites	15
DA Noäh	vineam ordinat	16
DE Liber	vinum promit ex ordeo	17
DI Staphilus	in vinum lymphatum	18
DO Isis	in ordines hortorum	19
DV Minerua	in oleam	20
EA Aristeus	in mellis industriam	21
EE Nembrot	venator	22
EI Phalla	in rethe	23
EO Gebur	in laqueos	24
EV Ramessus	in hamum	25
FA Regomer	In schalam	26
FE Sargum	In fiscellam	27
FI Danaus	Puteum fodiens	28
FO Doxius	luto edificans	29
FV Iobal	Ligno edificans	30

GA Husbal	In fornacem calcis	31
GE ciclops	In turrim	32
GI Theodorus	In Torhum	33
GO Perdix	in cuncinum	34
GV Talus	in Serram	35
HA Theodotus	in terebram	36
HE Parug	in malleum	37
HI Semeol	in prælum	38
HO Seusippus	in dolia	39
HV Luscinius	in dolam	40
GA Choræbus	figulus	41
GE Barcham	Lanam intorquet	42
GI Closter	fila orditur	43
GO Aracgne	texit	44
GV Boetius	Sutor	45
HA Phrigio	Carminator	46
HE Caathar	in calceos	47
HI Procon	in vitrum ex herbis	48
HO Licarnassus	in forcipes	49
HV Chares	in Chirothecas	50
IA Abas	Capitis tonsor	51
IE Stram	in nouaculam	52
II Crates	Aurum terit	53
IO Arphalus	inaurat	54
IV Dubitrides	in lagenas	55
KA Hermahel	in pectines	56
KE Ramesses	in Tapeta	57
KI Minos	Nauta	58
KO Dedalus	in antennam	59
KV Glycera	Coronat	60

LA	Emor	Saltat	61
LE	Anacharsis	Folles ducit	62
LI	Delos	Æs conflat	63
LO	Lydus	in nummos	64
LV	Apis	Medicus	65
MA	Chiron	Chirurgicus	66
ME	Circe	Fascinatrix	67
MI	Pharphacon	Necromantus	68
MO	Aiguam	in circulos	69
MV	Hostanes	Demonum lacessitor	70
NA	Zoroaster	in Magiam	71
NE	Suah	Chyromantus	72
NI	Chaldæus	Pyromantus	73
NO	Attalus	In ydromantiam	74
NV	Prometheus	Boues immolat	75
OA	Abel	Mactat pecora	76
OE	Enos	Aram struit	77
OI	Zedechor	in aqua molit	78
OO	Cureta	Puerum immolat	79
OV	Abraam	circumcidit	80
PA	Ioannes	Baptizat	81
PE	Emael caput hominis aperit ante aras		82
PI	Imus caput mulieris velat ante deos		83
PO	Amphiaraus	Augur	84
PV	Orphæus	in Orgia	85
QA	Aphares	Marsus	86
QE	Crithon	Ceretanus	87
QI	Belus	in Idolum	88
QO	Diagoras	euertit aras	89
QV	Chemis	in pyramidem sepulchri	90

RA Mirchanes	in cereos	91
RE Giges	in picturam	92
RI Marsias	Tibicen	93
RO Tubal	cytharædus	94
RV Amphion	in musicales notas	95
SA Amurius	in neruorum fides	96
SE Baros	in æreas fides	97
SI Venus	in prostibulum	98
SO Tubalchaim	in prælium	99
SV Pysæus	in Tubam æneam	100
TA Birrias	in Timpanum	101
TE Bellerophon	equitat	102
TI Neptunus	equm domitat	103
TO Ætholus	in lanceas	104
TV Persæus	in Sagittam	105
VA Arthemon	in testudinem	106
VE Phœnix	in balistam	107
VI Maletes	in vexillum	108
VO Gaegar	in Scuthum	109
VV Ermus	in Nolam	110
XA Marmitus	in Thoracem et galeam	111
XE Theut	in literas, scrip.	112
XI Conradus	in lit. prælo præmendas	113
XO Thales	in eclypsim & vrsam	114
XV Pythagoras	in luciferum & hesperum	115
YA Nauphides	in cursum solis	116
YE Endimion	in lunæ rationem	117
YI Hipparcus	motum stelliferi sinistrum	118
YO Athlas	in Sphæram	119
YV Archimedes	in Æreum cælum	120

ZA	Cleostratus	in signa duodecim	121
ZE	Archita	in cubum Geometricum	122
ZI	Xenophanes	in mundos innumeros	123
Zo	Plato	in Ideas & ab ideis	124
Zv	Raymundus	in nouem elementa	125
ψA	Ior.	in clauim & vmbras	126
ψE	Protagoras	in duas contrarias rationes	127
ψI	Alchmeon	in naturæ rationem	128
ψO	Euclides	malum tanquam nihilum	129
AA	Epicurus	in animi libertatem	131
AE	Timon	In Misantropiam	132
AI	Crates	In panem fontium	133
AO	Cleantes	Haurit Philosophiam	134
AV	Menedemus	Prodigiose superstitiosus	135
BA	Polymnestus	in Pithag. fabarum cultum	136
BE	Philolaus	in harmoniam patentem rerum	137
BI	Speusippus	in suauem philosophiam	138
BO	Anaxagoras	in chaos	139
BV	Archelaus	in sine lance naturam	140
CA	Pyrrho	quærens vt non inueniat	141
CE	Diodorus	in inuolutam & cornutam dissertionem	142
CI	Simon	omnia nutibus affirmans	143
CO	Æschilus	in personas	144
CV	Diogenes	in grammaticos malorum propriorum ignorantes	145
DA	Homerus	in Epicum Sophoclem	146
DE	Sophocles	in Tragicum Homerum	147
DI	Farmacon	in obticam	148
DO	Tapes	in prospectiuam	149
DV	Melicus	in memoriam	150

AA	Nodosum	1	GA	Brutale	31
AE	Mentitum	2	GE	indispositum	32
AI	inuolutum	3	GI	pendens	33
AO	Informe	4	GO	indigestum	34
AV	Famosum	5	GV	indiscretum	35
BA	Iners	6	HA	peregrinum	36
BE	indignum	7	HE	egenum	37
BI	indutum	8	HI	repulsum	38
BO	ineptum	9	HO	scrupulosum	39
BV	Cubans	10	HO	Turpe	40
CA	Calcans	11	IA	supposititium	41
CE	inauditum	12	IE	sepultum	42
CI	inconstans	13	II	excuscitatum	43
CO	inconditum	14	IO	vagum	44
CV	incantatum	15	IV	fluens	45
DA	Accessum	16	KA	inclinatum	46
DE	illaqueatum	17	KE	iniuriosum	47
DI	iacens	18	KI	ingurgitans	48
DO	horrendum	19	KO	instauratum	49
DV	impos	20	KV	inuisum	50
EA	ictum	21	LA	inuentum	51
EE	in honoratum	22	LE	obligatum	52
EI	festiuum	23	LI	intercalatum	53
EO	ferens	24	LO	orbatum	54
EV	expectatum	25	LV	intercisum	55
FA	fastidiosum	26	MA	fractum	56
FE	radicatum	27	ME	textum	57
FI	fatale	28	MI	insolitum	58
FO	exemptum	29	MO	inspersum	59
FV	exanimatum	30	MV	mentitum	60

NA	innixum	61
NE	ignoratum	62
NI	Lacessitum	63
NO	lesum	64
NV	leuum	65
OA	esuriens	66
OE	murmuratum	67
OI	iteratum	68
Oo	impeditum	69
OV	irrenumerabile	70
PA	immundum	71
PE	debile	72
PI	mendicans	73
Po	multiforme	74
PV	obstans	75
QA	strictum	76
QE	mysteriosum	77
QI	portentosum	78
QO	ignoratum	79
QV	ociosum	80
RA	deploratum	81
RE	impacabile	82
RI	orbatum	83
Ro	neglectum	84
Rv	oppressum	85
SA	negociosum	86
SE	nefastum	87
SI	nouum	88
So	obscurum	89
Sv	obscænum	90
TA	impenetrabile	91
TE	arescens	92
TI	durum	93
To	infidum	94
Tv	præcipitosum	95
VA	venale	96
VE	stimulatum	97
VI	pusillanime	98
Vo	effrenum	99
Vv	comminutum	100
XA	flagrans	101
XE	hians	102
XI	incisum	103
Xo	torctum	104
Xv	fumans	105
YA	Naufragum	106
YE	inficiendum	106
YI	cathenatum	108
Yo	Macilentum	109
Yv	errans	110
ZA	gelidum	111
ZE	confossum	112
ZI	funereum	113
ZO	cruentum	114
ZV	liuidum	115
AA	putre	116
AE	pestiferum	117
AI	Mordax	118
AO	bibulum	119
AV	anxium	120

AA	obliquum	121	AA	tumidum	136
AE	Tartareum	122	AE	armatum	137
AI	tremulum	123	AI	insipidum	138
AO	impetitum	124	AO	lapidosum	139
AV	amarum	125	AV	toruum	140
AA	informe	126	AA	ambiguum	141
AE	dissonans	127	AE	lasciuum	142
AI	desertum	128	AI	rabidum	143
AO	Syluestre	129	AO	fremens	144
AV	desidiosum	130	AV	rapax	145
AA	stygium	131	AA	infanum	146
AE	lacustre	132	AE	discors	147
AI	somnolentum	133	AI	mordens	148
AO	ieiunum	134	AO	calcitrans	149
AV	laruale	135	AV	stupefaciens	150

aa Oliua 1
ae laurus 2
ai Myrthus 3
ao Rosmarinum 4
av cypressus 5

aa palma 6
ae hedera 7
ai papauer 8
ao quercus 9
av urtica 10

aa Flores 11
ae spinae 12
ai thiara triplex 13
ao cornu 14
av cornua 15

aa corona regum 16
ae morio 17
ai arundo 18
ao salix 19
av cornua cerui 20

aa iubar 21
ae cometa 22
ai iris 23
ao turris Iunonia 24
av nubes ingruens 25

aa summascendens 26
ae lampades 27
ai iubæ thisiphones 28
ao Gemmæ 29
av lilia 30

aa Dicho tomus lunæ 31
ae fulmen 32
ai gladius 33
ao securis 34
av sagitta 35

aa Serra 36
ae imber 37
ai hamus 38
ao frenum 39
av lingua vibrans 40

aa conus 41
ae manus apprehendens 42
ai rostrum aquilæ 43
ao caput apri 44
av caput leonis 45

aa vndantes pluuiæ 46
ae epithaphium 47
ai bubo feralis 48
ao gallus 49
av columba 50

pomum calathus 51
aa hydra 52
ae flamma 53
ai ventus 54
ao nidus auium 55
av exta aruspicina

COLLO APTABILIA

aa torques 56
ae Serpens 57
ai agnina pellis 58
ao vulpina pellis 59
av iugulum 60

aa cathena	61	aa arbor	91
ae annulus	62	ae aurea mala	92
ai lemur	63	ai Serpens	93
ao ala	64	ao compedes	94
av fascis	65	av conca	95
aa laqueus	66	aa columna	96
ae pharetra	67	ae delphin	97
ai Baltheus	68	ai draco	98
ao cribrum	69	ao equus	99
av mola	70	av rota fortunæ	100
aa iugum	71	aa fœnum	101
ae crumena	72	ae fossa	102
ai flabellum	73	ai fornax	103
ao sceptrum	74	ao horreum	104
av flagrum	75	av cuna	105
aa lagena	76	aa infernus	106
ae tuba	77	æe lacus	107
ai gladius	78	ai Leo	108
ao Tropheum	79	ao lepus	109
av lances	80	av limes	110
aa cuculla	81	aa lucus	111
ae lintheus	82	ae fluuius	112
ai aurea zona	83	ai marmor	113
ao Herbæ	84	ao porca lactens	114
av horologium	85	av scopulus adæsus	115
AD PEDES APTABILIA			
aa Scorpius	86	aa sedile	116
ae canis	87	ae sedes	117
ai antrum	88	ai sepulchrum	118
ao anser	89	ao speculum repercutiens	119
av ara	90	av exta aruspicina	120

aa	bos tardas	121
ae	alueus mellis	122
ai	formido horti	123
ao	muscipula	124
av	iuncorum fascis	125
aa	equus mortis	126
ae	septem candelabra	127
ai	thus redolens	128
ao	sulphur scintillans	129
av	trabs obstans	130
aa	Asinus lentus	131
ae	crater	132
ai	vas pandoræ	133
ao	cornucopia	134
av	taurus retrectans	135
aa	homo truncus	136
ae	fœmina suspensa	137
ai	lupus in cadaver	138
ao	Gallina ouis incubans	139
av	sepulchrum	140
aa	fornax	141
ae	stuppa succensa	142
ai	Gurgustium piscium	143
ao	canis catellos lactens	144
av	curriculum	145
aa	Galli insilientes	146
ae	Aries impetens	147
ai	porcus vastator	148
ao	puer ludens	149
av	Timpanum	150

IMAGINES FACIERVM
signorum ex Teucro Babilonico quæ ad vsum presentis artis quam commode trahi possunt.

Aries.

AA  Ascendit in prima facie arietis homo niger, immodicæ staturæ, ardentibus oculis, seuero vultu, stans candida precinctus palla.

Ae In secunda mulier non inuenusta, alba induta thunica, pallio veró tyrio colore intincto superinduta, soluta coma, & lauro coronata.

Ai In tertia homo pallidus ruffi capilli rubris indutus vestibus, in sinistra auream gestans armillam, & ex robore baculum in dextra, inquieti & irascentis præ se ferens vultum cum cupita bona nequeat adipisci nec præstare.

Taurus.

AO  Iu prima Tauri facie Nudus arans, de palea pileum intextum gestans, fusco colore, quem sequitur rusticus alter femina iaciens.

Av In Secunda Cla uiger nudus, & coronatus aureum baltheum in humeris gestans & in sinistra sceptrum.

Ba In tertia vir sinistra serpentem gestans & dextera hastam siue Sagittam, ante quem testa ignis, & aquæ lagena.


Gemini.

Be  In prima geminorum facie, vir paratus ad seruiendum, virgam habens in dextera. Vultu hilari atque iocundo.

Bi In secunda, homo terram fondiens & laborans: iuxta quem tibicen nudis saltans pedibus & capite.

Bo In tertia Morio tibiam dextera gestans, in sinistra passerem & iuxta illum vir iratus apprehendens baculum.

Cancer.

Bv  In prima Cancri coronata, optimé induta oliuam gestans in dextra & phialam in sinistra.

Ca In secunda vir cum muliere sedentes ad mensam & ludentes ante vinum sunt indumentorum genera; ante mulierem aurea argenteáque vasa.
Ce In tertia vir venator quem antecedunt & consequuntur canes, cornu gerens & balistam, incessu volucri & girouago.

Leo.

Ci  In prima Leonis facie vir colore ruffus, croceis indutus vestibus, coronatus auro, gallum in dextra gestans, leonem equitans.

Co In secunda fœmina ambulans in cœlum manibus tensis, & iuxta illam vir quasi paratus ad vindictam, gladium habens districtum, atque scuthum.
Cv In tertia peram gestans seu scuticam; vultu tristi, demisso, & inuenusto, quem sequitur adolescens albis indutus.


Virgo.

Da  In prima Virginis facie: Puella floribus corollata, & vir flores & frondes spargens contra illam, indutus veste viridi & discinctus.

De In secunda homo niger corio vestitus, crumenam gerens in manu, pallium habens á capite demissum.

Di In tertia senex duobus innixus baculis, incultis capillis ante frontem, dispersa barba, fusco indutus colore.

Libra.

Do  Primam libræ faciem, habet homo librum inspiciens, pugionem habens in dextera vel stilum. Truci incedens vultu.

DV Secundam duo altercantes & turbati coram sedente pro tribunali qui virgam in eos extenctam in dextra, & sinistram eleuatam habet.

Fa Tertiam Sagittarius ferox, quem sequitur vir manu panem gestans & scyphum vini: & homo nudus totus antecedit.

Scorpius.

Ee



Ascendit in prima scorpij facie mulier formosa & optimé induta pro qua duo iuuenes inuicem irati se verberibus cedentes fatigantur.

Ei In secunda mulier nuda penitus, & duo viri penitus nudi, quorum alter stat ad latus mulieris, alter in terra cubat cum cane colludens.

Eo In tertia vir exponens dorsum percutienti mulieri, ambabus manibus ambos tenens pedes.

Sagittarius.

Ev



Sagittarij primam faciemhabet vir armatus totus, parmam gestans in sinistra, & in dextra latissimum ensem, in cuius incessu terra tremere videtur.

Fa Secundam fœmina tristis, lugubri induta vestimento, puerum alterum intra brachia gestans, alterum manuducens.

Fe Tertiam vir in terra cubans, baculum temere exagitans, vultu pallidus, & habitu sordido, & porcus adstat illi, fodiens terræ maniplos.

Capricornus.

Fi  Primam Capricorni faciem vir in habitu mercatoris turpis faciei & tristis quem sequitur iuuenis saltans & plaudens manibus.

Fo Secundam vir in columbam volantem intorquens iacula: & duæ mulieres ad vnum se complexantes virum.

FV Tertiam virgo albis induta; pedibus conculcans vulpeculam, & librum lectitans.


Aquarius.

Ga  PrimamAquarii faciem habet pater familias, & matrona, in gestu cogitantium: quorum ille calculos habet in manu, & ista colum.

GE Secundam vir in habitu consiliarii atque sedens, schedulas memoriales in manu habens, é cuius mento prolixa pendet barba, homóque videtur vultu seueriore.

Gi Tertiam iuuenis iratus cuius facies ira vídetur inflammata: manibus quasi impetentibus, & digitis contortis.

Pisces.

Go 

In prima piscium facie, figura hominis sua bona transportantis, & nouam perqnirentis habitationem: quem sequitur mulier tripodem gestans & perticam.

Gv In secunda vir accinctus quasi & ad operandum, contractis vestibus, & denudatis brachiis agilitatem præ se ferens corporis, & vultus hilaritatem.

Ha In tertia adolescens adamans & complectens puellam & iuxta illos aues Iunoniæ duæ colluctantes.

Habitus & actus imaginum prædictarum licet per se ad artem memoratiuam non conferant: complere tamen possunt imaginum rationes.

I Est imago Arietis prima audax, inuerecunda & fortis imaginatiuæ.
Secunda superbior, ambitiosa, & nobilis animi.
Tertia inquietior & quasi desperans, acutioris ingenij, gaudium prestolantis.

II Est Tauri imago prima principiorum operum & actuum Geometricorum fautrix.
Secunda potens & nobilis in multitudine gentium.
Tertia indiga, miserabilis atque serua.

III Geminorum prima, sapiens In Mathematicis aliisque quarum nulla est vtilitas facultatibus.
Secunda impudens, deceptrix, & laboriosæ diligentiæ, nullius tamen frugis.
Tertia delira, immemor, & multæ garrulitatis.

IIII Cancri prima subtilis contemplationis, vigilis ingenij & pronæ in amorem voluntatis.
Secunda modici ingenij, & multæ fortunæ.
Tertia plurimæ negotiationis & modicæ prosecutionis, propter ardua media.

V Leonis prima impetuosa, luxurians, immitis, & impacabilis.
Secunda velox ad effusionem sanguinis, proditrix, & suspiciosa.
Tertia comes & amica quem mauult perdere quam litibus habere vel adipisci.

VI Prima virginis cumulat diuitias, non tamen illicitis negotiis.
Secunda auarius & intentius incumbit augendæ rei.
Tertia debilitat, infirmat, dirimit, & consumit.

VII Prima libræ iusta, eripiens pauperes de manu potentum & violentorum.
Secunda, & iniquitatis impatiens: & pacatrix tumultuum.
Tertia scortatrix, adultera, & voratrix.

VIII Prima scorpii pulchra & blanda proditrix & nefasta.
Secunda pariter infida atque turpis.
Tertia apertæ iræ, indignationis & violentiæ.

IX Prima Sagittarij audax, vesana, & iugum detrestans legum omnium.
Secunda de timore concipiens tristitiam & obsequium pariens.
Tertia capilosa, rixatrix, & pacis inimica.

X Prima Capricorni substantiam luxu deperdit.
Secunda querit impossibilia.
Tertia rebus augendis intentior: Sapiendo desipit.

XI Prima Aquarij cogitat & laborat ad quæstum, cum sit pauperie pressa & vilitate.
Secunda intelligentiæ multæ & sobrietatis.
Tertia impudentiæ non modicæ, & præsumptionis.

XII Prima piscium, indigentia rerum sollicita.
Secunda pluribus & magnis intenta negociis.
Tertia, ocio multo torpet atque luxu.

Hæc licet non vsuueniant pro imaginibus: pro imaginum tamen formis & qualitatibus sunt necessaria, verum sensibili aliqua specie figurentur.

Sequuntur septem Saturni Imagines ex Ægyptiis & Persis philosophis: quæ etiam pro locis, & subiectis vsuuenire possunt.



He Prima Saturni imago. Homo ceruini vultus super draconem habens bubonem in dextra qui serpentem deglutit.

Hi Secunda est Homo habens falcem in dextra & in sinistra piscem & equitat super camelum.

Ho Tertia homo tristis & gemens, habens palmas in cælum erectas vestibus fuscis indutus.

Hv Quarta. Vir niger habens pedes Cameli super alatum dragonem sedens: dextra ferens Cupressi ramum.

Ia Quinta. Nigris indutus vestibus & nigra facie, in cuius dextra basiliscus cauda brachium intorquens.

Ie Sexta. Senex & claudus innixus baculo in alto solio super currum; quem trahunt mulus & Asinus.

Ii Septima. Auriga super currum quem duo cerui trahunt; altera manu piscem, altera curuam falcem gerens.

Septem Iouis imagines.



Io Prima Iouis imago vir decorus super currum á draconibus tractum, dextra in caput draconis iaciens Sagittam.

Iv Secunda Iouis imago vir sedens in cathedra: quem quatuor alati trahunt adolescentes innixus frondosæ fago.

ka Tertia est habens caput Arietinum, sedens super rotam: & vas balsami gestans in manu sua.

ke Quarta est habens caput Leonis & pedes Aquilæ,

& quercus ramum in dextera: coram quo duo iuuenes pulcherrimi aspectus albis induti curuantur.

ki Quinta sedens super aquilam, smaragdinis ornatus vestibus, in capite habens coronam hiacintinam & sceptrum in manu.

ko Sexta homo coronatus, croceis indutus vestibus oliuam gestans in dextera, equitans super draconem.

kv Septima coronatus eleuatis & iunctis manibus, tanquam deprecans, cuius vestis cerulea aureis conspersa stellis.

Septem Martis imagines.



La Prima Martis imago est vir armatus Leonem equitans: cuius galeam rostro vultur tundit. Est homo trucis aspectus.

Le Secunda vir armatus gladio latiore & lancea, in cuius galea, aliquid chimeræ simile ex ore flammeas scintillas eiestans.

Li Tertia dextra manu sulphureos ignes iaciens, sinistra apprehensam habens ceruicem pardi, quem equitat non bene consentientem.

Lo Quarta homo habens in dextra strictum ensem & caput humanum sanguine rorantem: in sinistra habens vultum quasi sole adustum.

Lv Quinta, vir fuluus colore, rubris indutus vestimentis: ferreum & graue gestans sceptrum, super lupum equitans.

Ma Sexta, stuprator virginis pulcherrimæ pro viribus auertentis se ab illo. Ambo trahuntur in curru eburneo á duobus cynocephalis.

Me Septima Leopardus & Tygris pugnantes: hinc inde duo galeati districtis gladiis inuicem comminantes.

Septem Solis imagines.



Mi Prima Solis Mulier venusta & coronata, in aureo curru, tracta á quatriugo equorum ascendentium.

Mo Secunda. Iuuenis pulcherrimus nudus coronam habens in capite pluribus contextam floribus, pauonem amplexatus.

Mv Tertia. Iuuenis Diadematus é cuius capite radiorum fulgor emicat, pharetram gestans & arcum.

Na Quarta. Mulier complexa & exosculans puerum viridi indutum veste talari, fuluo capillo, & speciosa facie, in dextera speculum habens.

Ne Quinta. Virgo sinistra clypeum gestans, & dextra dardum iaculans, insidens super cocrodilum.

Ni Sexta. Vir Leonem equitans currentem, & nubem caliginis é naribus efflantem, in cuius dextera gallus est.

No Septima. Vir in habitu pontificis quem duo viri antecedunt capite nudo, fuluis seu croceis indumentis, coruum habet in sinu, & sub pedibus aureum canem.

Septem Veneris imagines.



Nv Prima Veneris imago puella coronata myrtho, nuda, prolixos habens ad talos vsque capillos, & coram illa alba canicula gestiens.

Oa Secunda. Venustus puer calathum floribus variis confertum ambabus portans manibus: quem sequitur vir in morem hortulani.

Oe Tertia. Mulieris nudæ bustum; cui insitum esse videtur caput columbinum, pedes habens aquilinos;

quam adolescens sequitur, & vir antecedens fugere videtur.

Oi Quarta. Mulier equítans taurum dextera pectens capillos habens speculum in sinistra, cui adolescentior, adsistit viridem habens auem in manu.

Oo Quinta. Puer argenteam habens cathenam: & iuxta illum puella nuda, & lauro cum bacchis coronata, & saltans.

Ov Sexta. Puer alatus auro fulgentiores habens capillos, cuius pennas mille intiugunt colores, iacula intorquens ignita.

Pa Septima. Adolescens & puella luctantes, nubi ambo, contendentes vt alter alterum deuinciat, quorum hæc bissinam: ille auream in manu habet cathenam.

Septem Mercurium spectantes imagines.



Pe Ad Mercurium vero significandum, & disponendum primo effigiatur pulcherrimus iuuenis sceptrum habens: cui serpentes duo oppositis se capitibus intuentes erant inuoluti.

Pi Secunda. Barbatus iuuenis & venustus, coronatus

oliua, sceptrum habens in manu, & ante illum ignis accensus.

Po Tertia. Galeam alatam habens, atque talos, sinistra virgam gestans, & dardum dextra.

Pv Quarta imago. Vir propexam habens barbam in pectore, togatus, quem sequitur puella blandum habens vultum, totóque corpore venusta; sed caudam habens serpentinam.

Qa Quinta. Argum confodiens, in dextera hastam habens, & fistulam in sinistra: & iuxta illum vitula depascens virentes herbas.

Qe Sexta. Vir in habitu mercatoris & peregrini; oculos in solem habens conuersos, & manus extenctas.

Qi Septima. Puer Arietem equitans: cuius sinistra cornua illius apprehendit: dextera Psytacum gestat.

Septem Lunæ imagines.



Qo Prima Lunæ imago, Mulier cornuta super delphinem equitans in dextera chamaleontem habens, & lilia in sinistra.

Qv Secunda. Vir rusticus cucullatus hamo expiscans

dextera, & in fuscinea substentatur hasta, quam sinistra tenet apprehensam.

Ra Tertia. Mulier plurimis ornata margaritis; candidis induta vestibus, vas cristallinum habens in dextera, & felem in sinistra.

Re Quarta est mulier super hydram tres ceruices é quarum singulis septem exiliunt capita habentem, vacuas antrorsum tendens manus.

Ri Quinta. Puer argenteam habens coronam & sceptrum, conscensus currum quem duæ capræ trahunt.

Ro Sexta. Mulier in singulis cornibus: brachiis, & tibiis intorctos habens colubros; equitans super pantheram.

Ru Septima. Venator canem irritans in syluestrem porcam, & lineo pergit indutus vestimento.

Imago Draconis lunæ.

Sa Homo rex habens in dextra Draconem; super regis caput flamma ignis, & caput draconis simile est capiti accipitris.

Imagines mansionum Lunæ viginti & octo tractæ in vsum præsentis artis.

Se Prima. In ferrea sede Æthiops dardum iaciens, fune precinctus.

Si Secunda. Rex in throno: iacentem virum, atque terræ prostratum, sceptro eleuans.

So Tertia. Mulier optimé induta, in cathedra sedens,

dextra super caput eleuata: Sinistræ crines fugacis stultæque mulieris inuoluens.

Sv Quarta. Miles equo insidens in dextra serpentem tenens: sinistra nigrum canem trahens.

Ta Quarta. Princeps in throno argenteo; virgam habens in dextra, sinistra amplexatur puellam.

Te Sexta. Duo viri armati nudato capite & proiectis ensibus se amplexantur.

Ti Septima. Vir supplex ambas in cœlum palmas tendit: optimé indutus in argentea sede.

To Octaua. Vir Aquilam equitans, in dextra palmam habens: quem sequuntur duo deuincti.

Tv Nona. Homo eunuchus manibus oculos obturans, ante sordidum lectum.

Va Decima. Mulier pariens, ante quam Leo aureus, & homo in morem conualescentis.

Ve Vndecima. Equitans leonem, eius crines sinistra tenens, dextera lanceam.

Vi Duodecima. In plumbea & nigra sede, draco pugnans cum homine.

Vo Tertiadecima. Equus equam subagitans, & pastor baculo innixus stat super ambas manus fixo vultu.

Vv Quartadecima. Homo canem cauda suspensum habens; & canis in caudam versus proprium pedem mordet.

Xa Quintadecima. Homo sedens litteras legèns, tabellario blandiens.

Xe Sextadecima. Mercator argenteas habens in manu bilances: & alter adnumerans ei.

Xi Decima septima. Homo arcam portans, quem simia insequitur.

Xo Decimaoctaua. Vir æreum habens colubrum in manu; quem plurimi fugiunt serpentes.

Xv Decima nona. Mulier manus super faciem tenens & pariens.

Ya Vigesima. Centaurus venator, pharetratus arcum habens in sinistra; in dextra mortuam vulpem.

Ye Vigesima prima. Duo homines quorum alter retro conuersus; alter ante respiciens & iuxta illos abrasos sibi capillos colligens.

Yi Vicesima secunda. Homo galeatus, & pennatis pedibus fugiens, in tutum se recipit.

Yo Vicesima tertia. Catus caput habens caninum: vel canis dorsum habens cati, terram suffodiens: & vir ruens in terram.

Yv Vicesima quarta. Mulier lactans peurum: apprehensum habens cornu arietis, quem multus grex consequitur.

Za Vicesima quinta. Plantans ficum, & alter frumentum serens.

Ze Vicesima sesta. Mulier ablutos pectens capillos, ante quam puer alatus.

Zi Vicesima septima. Vir alatus lagenam vacuam & perforatam mergens in puteum.

Zo Vicesima octaua. Æreum piscem in aquam proiiciens: vt ad ipsum viuentes multi concurrant.



Zv Primæ domus imago prima, homo fundamenta iaciens, & alter, virga aliam ouem abigens aliam reducens, fonti scaturienti proximus.

Aa Imago secunda. Vir ad mensam sedens, & eius vxor parturiens, & obstetrices duæ iuxta illam.

Ae Imago tertia. Nuda mulier voluens rotam, vestem habens ante oculos, stans super globum, sub quo agitantur fluxtuantes aquæ.

Ai Secundæ domus imago prima, serui duo cum vasis argenteis gemmis & auro referti.

Ao Secunda. Vir fodiens Thesaurum quem fugit vetula nuda, ea macilenta supermodum.

Av Tertia. Vir faber Vulcanius, nigricoloris & crispi capilli, suo incumbens operi, cui adstat puerulus niger admodum, bene indutus, auream habens coronam in manu.

Aa Tertiæ domus prima imago vt simulachrum Castoris & Pollucis, stantium super altare, in cuius medio ignis ardens.

Ae Secunda quasi familia abcedens, bona é loco transportans: vultu tristi, & taciturna.

Ai Tertia. Velut heremita indutus cilitio librum habens in manu, quem sequitur truculenti Martis simulachrum.

Ao Quartæ prima, vir senior cum vxore vetula in ossa cadaueris medij intuentes, quæ in aureo iacent strato.

Av Secunda. Pulchra mulier habens in sinistra manu globum terræ, coronam in formam turris in capite, in dextra sceptrum quo terram effodere velle videtur.

Aa Tertia. Vir adstans sepulturæ circumdatæ ferreis cancellis: & iuxta illum bos comedens fœnum.

Ae Quintæ prima. Homo canutus prolixam habens barbam, filiis comitatus duobus, elargiens dona amicis suis, quos leporarij duo sequuntur.

Ai Secunda. Vir in librum coniectos habens oculos, & tabellarius albis indutus, & viridi pileo coopertus aduentans.

Ao Tertia. Vir cum vxore vel alia fœmina sedens in mensa & exosculans illam, eidemque propinans.

Av Sextæ prima. Ægrotus cubans ad terram, cui adsistit canis macilentus & fuscus latrans contra illum.

Aa Secunda. Puella in habitu reginæ, cuius vestimentorum fimbrias puer Maurus sustinet, & illam antecedunt ancillæ duæ saltantes cum corollis in manibus.

Ae Tertia. Vir habens in sinistra orbem, in dextra euaginatum ensem, & homo procedens ante illum.

Ai Septimæ prima. Viri duo altercantes. manibus ad capulos ensium euaginandorum applicitis, inter quos iuuenis legens literas.

Ao Secunda. Adolescens venustus, & virgo floribus coronata: quos vir senior copulat vt inuicem exosculentur.

Av Tertia. Vir armatus, quem sequitur quasi fur mercimonias transportans.

Aa Octauæ prima. Fœmina nuda sicca admodum, antequam lepores fugiunt: citans ab aere tempestates, & fulgura.

Ae Secunda. Quasi Sisiphus qui nititur saxum ingens torquere in montem: quem sequitur fœmina capite & facie velata, & fuscum habens pallium.

Ai Tertia. Rusticus poma portans & vulpem cathenula alligatam trahens.

Ao Nonæ domus prima imago. Mulier pulcherrima viridi vestimento induta, coronata auro dextram habens in cælum tensam, in cuius faciem fulgor descendit.

Av Secunda. Vir decliuis orans manibus supra caput eleuatis & iunctis & ante illum ara in qua victima absumitur igne.

Aa Tertia. Virgo est habens globum cælestem in sinistra manu & speculum in dextra, cœlesti in-

duta colore, coronam & calceos aureos fulgentes habens.

Ae Decimæ domus imago prima. Rex sedens in throno, iuxta illum viri consiliarii consedentes & ante illum curuati aliquot.

Ai Secunda. Vir pius sedens in cathedra, quam sustinet simulachrum mulieris tuba personantis.

Ao Tertia. Columna ænea super qua regis aurei nudique simulachrum in quam sacerdos stans manus tendit abiunctas.

Av Vndecimæ domus imago prima. Mulier pulchra nuda ornatum gemmis & auro caput habens, & torquem lucentibus carbunculis & margaritis circa collum, pharetram & arcum habens aureum.

Aa Secunda. Stipata acies gazam transportans.

Ae Tertia. Rex senior in habitu regio incedens, quem sequitur puer in veste talari & fulua, regiam coronam in manibus gestans, nudo capite.

Ai Duodecimæ domus imago prima. Vir altera manu blandiens amico, in altera occultam habens nouaculam, & iuxta illos torpens vetula ad ignem.

Ao Secunda habet bouem pascentem, & iuxta illos iugum & clitellam.

Av Tertia. Vir nudatum pectus saxo tundens, & iuxta illum homo furiosus, fictilia confringens vasa & oleum effundens in terram.

Vsus manus imaginum prædictarum ad rerum memoriam.

Ingentem ex præsignatis tibi comparare poteris vtilitatem & commodum incomparabile. I. Sint formæ perpetuis perpetuo subiectis inhærentes. II. Subiecta ipsis ordinem tribuat, vel ab ipsis ordinem recipiant. Quod quidem ad ipsarum formarum memoriam habendam conducit. III. Quod si lubet adiecta ipsam in subiectorum rationem & vicem conuertere, quid est quod te possit impedire? IIII. Ipsius igitur rei memorandæ partes, viuis imaginibus, & insigniis, actionibus circumstantiis earumdem committito per ordinem: vt singula quæque per congruentem sibi actionem passionem, alterationem, desituationem, alios atque alios se habendi modos, velut quæ operantur, vel vt quibus, & circa quæ exercentur operationes; valeant membra diuisionis memorandæ materiæ sigillatim describere. In iis autem omnibus illud non te prætereat quod non quasi abstractas, sed oculis phantasticæ facultatis fixas, debes eligere species. Etenim alibi ostendimus quemadmodum eas captare debeamus quæ magis extrinsecos sensus commouentes: potentius in internos sensus irrepsere.

Ad combinationes in quibus elementum subsistens præcedit elem. adsi.

Istis ita dispositis ad infinitarum combinationum ex elementis constituendarum multitudinem: non est quod alios superaddas ordines primarum compositionum. Hic n. sicut habes centum quinquaginta simplices combinationes, in quibus elementum adsistens vel pro adsistente positum præcedit elementum subsistens vel pro subsistente positum, ita per quam facili negocio habes centum & quinquaginta alia in quibus elementum adsistens vel pro adsistente positum sequitur elementum subsistens vel pro subsistente positum. Ex differentia igitur recti vel curui, induti vel exuti, huc vel illuc versi, sedentis vel stantis, vel aliis mille dupliciter se habendi modis, hoc ipsum tibi poteris adcommodare. Chorebus figulus sedens notat A M. qui stando significabat Ma.


A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Ψ Φ ω θ

Ad elementa liquescentia & terminantia inter & post simplices combinationes.

Pro mediantibus autem & superuenientibus: seu cadentibus & succedentibus elementis ad singulas quinque combinationum pertinentibus, tuo ô amice studio poteris prouidere, per amplam quippe tibi viam strauimus vbi quascumque combinationes ad quinarium crescentes elementorum numerum efformare docuimus. Dabis ergo agenti differentias vndecim quibus finalia significentur elementa. C. G. L. M. N. P. N. S. N. T. R. S. T. & tres differentias quibus patefiant liquescentia media quædam elementa. L. N. R. Primæ si placet erunt in capite illius: secundæ in dorso, vel é contra. Dabis pariter vndecim operationum differentias ad significanda finalia, & tres ad media: quarum primæ (si placet) erunt in materia actioni subiecta, secundæ in brachiis vel manibus operantis. Similiter distingues duodecim & tres in circumstante. In adstante vero iisdem poteris quibus in operante vteris differentiis cum sint eiusdem generis. Adeo igitur hæc familiariter communicauimus vt modicum admodum tuæ videatur industriæ remissum.

De duobus egregiis inventis in hac arte, & encomium ipsius.

Duo igitur sunt quæ inuenimus & compleuimus in hac arte, quorum vtrumque antiquis omnibus visum est factu impossibile; primo ad primam praxim vt quamlibet, & qualemcumque combinationem vnico tantum presentandam tribueremus subiecto. Secundo ad secundam praxim (quod penè diuinum est inuentum & aliarum pregnans inuentionum (unum abest vt quis ipsum nouerit applicare) vt singulari subiecto & indiuiduo huius artis quemlibet terminum possimus commode referendum adiicere. Facit ergo inuentio nostra ad longe cititius & expeditius intimam scripturam perficiendum, atque exercitij fructum maturandum. Vbi n. balabant litteras cogendas in syllabas priusquam serò ad mage completos promouerentur actus: iam statim terminos in orationem cogere docemus. Mox igitur vt disciplinandus per artem istam, primæ vel secundæ praxis cathalogum meum habuerit: lecta auditáque subiectis ordinatis adiiciendo referre, poterit. Vsu deinde promptus & promptissimè præstabit omnia. Ideo hæc ars interimit omnes alias quæ præcesserunt ipsam in hoc genere: & ab alia post ipsam interimi non formidat. Ad culmen n. rem ipsam adduxisse credimus: si vbi alij diffundebat oculos ad elementa captanda vel magis aucupanda; nos per terminos ad sermonis & orationis complementum discurrimus.

DE PRAXI RERUM IN- complexis terminis signifi- cabilium.

Mox ad eam praxim quæ rerum memoriam attrectet accedamus. Eorum quæ sunt quædam incumplexe significantur, quædam vero cum complexione. Eorum quæ in complexione capiuntur, hæc quidem substantiæ, hæc vero accidentia. Eorum quæ sunt substantiæ, hæc quidem sunt sensibilia, hæc vero intelligibilia. Eorum quæ sunt sensibilia, hæc sunt sensibilia per se, hæc vero per accidens. Eorum quæ sunt accidentia, hæc quidem insunt substantiæ: vt quantitas & qualitas intrinseca, hæc veró inhærent substantiæ vtpote qualitates extrinsecæ, cuiusmodi sunt colores & circumstantes figuræ.

Quædam veró quodammodo insunt & quodammodo adsunt, vt habitudines quarum aliæ sumuntur ab eo quod est: aliæ vero ab eo quod dicitur. Quædam consistunt substantiæ, vt quæ agunt cum patientibus: & patientia cum agentibus. Quædam circumstant substantiæ, quorum alia circumstant vt quibus substantia applicatur, cuiusmodi est situs, alia vero circumstantur quæ substantiæ applicantur, veluti quæ extrinsecus haberi dicuntur quorum alia sunt coniuncta subiectoi per ipsa adiectiuato, vnde quis dicitur annulatus, ocreatus, indutus, vxoratus: alia sunt adiuncta, vt domus, prædium, fœmina. Quædam quodammodo

insunt & quodammodo circumstant, vt ipsum, quando, Est enim tum extra & supra rem vnum omnium & generale: tum in re ipsum puta singulorum proprium: quod etiam de tempore verum est atque de loco: Tempus n. est vnum subiectiue in cœlo & est multiplex subiectiue in singulis eorum quæ temporalia nuncupantur. Locus etiam si secundum logicales philosophos dicatur superficies continentis est circumstans.

Si secundum communiter loquentes dicatur corpus continens: adhuc est circumstans: Si vero secundum magis physicos dicatur spacium, & dimensio securioris materiæ & conceptaculum in omnes dimensiones: iam est in re & cum re suo modo, qui est consideranti manifestus.

Horum omnium vt accidat memoratio necessarium est precessisse figurationem. Incomplexæ ergo substantiæ intelligibiles, figurantur figuratione substantiarum sensibilium: vt fiebat in rotis & ignibus Ezechielis. Incomplexæ substantiæ sensibiles, figurantur per eorum accidentia, vt fit in recta hominis membrorum dispositione, multimodaque brutorum in terram pronitudine.

Accidentialiter sensibilia, per ea quæ sunt per se sensibus obiecta. Accidentia quæ insunt, per ea quibus insunt vt tanta quantitas per id quod continuam vel discretam tantam admittit quantitatem.

Talis qualitas, per ipsum cui proprius inest. Sic substantia per ea quibus subesse se finguntur accidentia. Accidentia quæ inhærent, per ea quibus inhærent, sicut & per hæc inhærentia per ipsa quibus in-

hærent. Accidentia quæ adsunt, per ea quibus adsunt vicissim. Accidentia quæ consistunt cum iis, quibus consistunt conuertibiliter. Accidentia circumstantialia cum seipsis non valeant figurari, per hæc quorum sunt circumstantiæ aut quibus circumstare ponuntur figurantur. Valent etiam cum figurata fuerint, vicissim in eorum per quæ figurantur sensum adducere. Ita igitur figurata cum fuerint vniuersa: ope eorum quæ ad subiectionem & adiectionem requirebantur, memoralia redduntur, atque subsistentia in atris sensuum internorum.

DE PRAXI RERVM COMplexis terminis conceptibilium.

Quemadmodum complexio in mente atque voce tunc efficitur cum per copulam substantiui, componitur alterum incomplexum cum altero incomplexo vel alterum ab altero diuiditur. Ita in engraphia quæ tales complexiones sequitur & designat efficitur primo complexio ex incomplexis, cum substantiam substantiæ adnectit; substantiam ad substantiam refert, vel accidens ad accidens adaptat, inexistens cum eo cui inexistit, adsistens cum eo cui adsistit, & circumstans cum eo connectit cui circumstat. Quæ quidem complexio concurrit primo in difinitionum efformandas imagines, figuras, atque signa vniuersaliter dicta (mitto quod in aliis intentionibus diffinitiones inter incomplexa enumerantur, sine complexione n. in engraphia non con-

cipiuntur, hîc sine simplicitate terminorum simpliciorum non exprimi possunt). Secundo in enuntiationes efformandas seu complendas, quod est cum terminus vnus vel plures de vno vel ab vno, vel de aut á pluribus dicuntur. Tertio in discursus ordinandos cum complexio efficitur ex complexis vt propriis membris: cum composita in vlteriorem connectantur compositionem. Sicut á physicis primó forma dicitur aduenire materiæ in corporis simplicis compositionem, corpus deinde simplex in mixti imperfecti confectionem. Omnia simplicia simul hinc inperfecti nerui, hinc in ossis perfecti, hinc in perfectæ carnis productionem quæ partes omogeneæ appellantur. Omnes hæ partes in hoc & illud etherogeneum membrum constituendum, vt in caput & brachia concurrunt. Cuncta tandem membra in vnius conueniunt corpus animatum complectendum. Haud aliter in formis & adiectis accidit post simplicem formationem ad primam, ab hac ad secundam, ab hac ad tertiam, & hinc ad alias pro subiectorum capacitate complexiones faciendas proficiscimur. Quod si tantam integramque complexionem vnum non capere possint subiectum, fiat subiecti primum complexio cum subiecto, vel subiectorum connexio cum subiectis: vt eorum applicationem quibus fit adiectio, applicatio eorum quæ adiiciuntur consequatur. Itaque dum successiué naues in pontis formam nauibus cohærebunt: siccis Hellespontum traiicies pedibus.

ARS BREVIS ET EX-
PEDITA AD EVNDEM
Christianissimum Galliarum Regem.

IORD. BR. NOL. ÆNIG-
MA ET PARADIGMA.

Vranie vatem sublimes duxit in ædeis
Quo faceret mentis nubila pulsa suæ.
Ordine prægnantem quo sunt disposta per orbem
Indicat extencta singula quæque manu.
Leucadius regno sedet hic tristisque senecta.
Prætulit hic degens talia regna patri.
Cuspide Mársque potens rapit hinc ea raptáque seruat:
Aurèus hinc Titan hæc diuturna facit.
Blanda Venus grato hinc numerosa ea reddit amore.
Pacis & armorum hinc, arbiter hic superis.
Hinc vultu inconstans Lucina & lumine clamat.
Occubitum visent orta, & adaucta suum.
Ordine sunt postquam concepta palatia cœli ,
Bis senas iuuat hos iam peragrare domos.
Egrediare senex varios subiture locorum
Anfractus: varias insinuando notas:
Huic diuum succede parens. Succede Gradiue.
Sminthæum numen. Cnidia nata mari.
Atlantis succede nepos Cyllenia proles.
Delia nec cesses cœlo Erebóque potens.

Ænigmatis quædam explicatio.

Hinc (serenissime rex) Hystorici perquam facili negotio, valebunt iis quorum memoriam perquirunt ordinate (vt sunt per volumina, libros & capita distincti) collocatis: eosdem quasi ex eorum domibus egredientes per atria deducere: in quibus variis negotiationibus, varii vitarum gestuúmque successus, infallibili breuíque temporis interuallo concipiendo ob oculos: ponentur ordine.

Pro sollemni aliarúmque omnium famosissima historia, communem Adamo, Abeli, Chaimo, Noah, Abraamo, Ysa. Iac. Ios. Mosi cæterisque domum propriis singulorum distinctam conceptaculis constituisse oportet. Mox enim omnes successiué eandem, vel diuersi diuersas peragentes vias: per atrium vel vnum omnibus commune, vel plura singulis propria deducti: sub ordine subiectorum historiæ, ordinem accidentium vniuersorum facient retinere.

Sic articulos orationum sub earumdem membris collocare poterunt oratores. Legistæ sub libris titulos; sub titulis, leges, sub legibus §. sub his etiam versuum intentiones. Medici sub libris, sectionibus, & capita, capitum partes, aphorismos cum intentionibus omnibus, ordinaté non minus quám ipso in libro valebunt apponere.

Haud secus aliis omnibus (plusquam hanc præsentem industriam ignorantibus possit esse credibile) propriæ professionis materiis licebit adaptare.

Pro cuius artis Typo fœcundam habes subsequen-

tem figuram quæ ad innumeros vsus referri potest. In qua schala septem erronum characteribus constans est descripta. Hæc circa centrum Sphæræ in Solidis; vel circa circuli centrum in plano versatilis: diuersis dat per diuersos orbes, & eorundem portiones circumferri.

FIGVRA FOECVNDA.



IORDANI BRVNI

NOLANI.

ARS BREVIS ALIA

pro rebus diversorum ordinum ad ordinem proprium referendis; atque potenter retinendis: quod ægre aliæ præstare valent artes.

ÆNIGMA. ET PARADIGMA IOR. BR. NOL.

Lumine de claro ne mens peregrina vagetur,
Nec sensus currens pone petita cadat:
Vtque profunda virum fallat te in Tartara missum
Ardentem fugiens vnda petita sitim:
Coge potens Circe succos tibi in atria septem
Quæque sit & species in genus acta suum:
Transfer in annosi campum hæc scelerata parentis
Hæc habeant natum cum Ganimede Iouem.
Luminibúsque minax prestans ardentibus Mauors
Hortum hunc prospectet, Mulciberúmque trucem.
Obtineas vasti lampas celeberrima mundi
Prolem vbi multigenam contueare tuam.
Suaue Venus spirans queis cuncta animantia vincis
Inque sequestrato diua capesse loco.
Secretusque tibi credatur nuncie diuúm
Fœmina fœmineo credite, másque mari.
Sepibus abiunctas (temerentur ne tua dona)
Delia confortes iunge operosa tuas.

Ars ista ipso se cantu nimium prodit, præsertim iis qui notitiam conuersionis rotarum sunt adepti. Vbi dux exercitus centuriones ex facie notos propria vel vicaria, ad proprios velit ordines referre. Debet ipsos sub variis, decentibusque actionibus, vel passionibus, vel circumstantiis, in sedibus iuxta ordinum numerum multiplicatis interno phantasiæ oculo conspexisse. Hinc medica Circe breuissimo leuíque studio memoriæ inscriptas affixásque habet simplicium omnium qualitates, & qualitatum gradus. Hinc puerum poterit Grammaticus ad retinenda omnium nominum genera (intellecto quid per nomen propriè significetur) vnius diei spacio promouisse. Et aduerte animum in hoc quod dicimus propriè signif. quia opinio est eandem rem pluribus nominibus atque diuersis in eodem idiomate significari, quæ sub diuersis generibus articulantur. Cui nimirum iam diu est non subtus scripsimus sententiæ: semper enim nescio quam ex se ipsis dictiones præ se ferunt diuersæ diuersam (vt ita dicam) emphasim: vt non omnino idem per tunicam, vestem, & indumentum intelligamus. Synonimiam igitur excludentes, nullam prorsus in hoc, similibusque aliis negociis patiemur difficultatem. Hinc astrologus quadraginta & octo cæli imagines ad quatuor cæli partes, cum ratione situum positionum & partium ipsarum vltimarum (quæ sunt stellæ consideratæ magnitudinis) relatas in quatuor atriis eodem poterit ordine coactas intueri. Hinc tandem omnes aliæ scientiæ, artes, & exercitia, ordinata vel ordinanda poterunt ad proprias decades, centurias, vel miriades referre.

Artem istam materialiter figuratam habes in subsequenti duodecim domorum schemate.


Meridies
11.
10.
9
Amici
Mater.
Religion.
12.
Mors.
8.
oriens 1
7. occid
2
6
Opes
Pater
Fratre.
Fily.
3.
4.
5.
Septentrion

IORDANI BRUNI

NOLANI

ARS ALIA BREVIS

ad verborum rerúmque me-

moriam.

Ænigma implicans maxime artificiosam subiectorum formarúmque arti deseruientium electionem.

In motus motor compulsu per eodem,
Dat motum æterna immobilitate vigens.
Vt circumlato centrum cognoscitur vnum
Gyro, quod nunquam destituisse valet:
Vtque manente suo rota mobilis irrotat axe,
Nec peragit recta mobilitate viam:
Non operum natura sagax faciem variabit:
Principium ni sit semper vtrumque manens.
Carpathio Proteus Neptuni in gurgite vasto,
Turpia per bipedes post pecora actus equos
Idem seruatur dum formas contrahit omnes,
Numináque intra alti magna perennis agit.
Haud secus in cunctis quibus est natura gubernas
Præstat perdurans ergo subéstque Monas.
Quamque subesse vides nullum sibi deneget actum
Quo veniat cunctis officiosa magis.
Verte in Anaxagorámque Chaos: habeántque parentem
Democriton atomi: Sylua Platona suum.
Semina quæ recipit, seruat, fouet, ordinat, a) clat.
Consulta est mater ni sine mente pater
Hanc iuuat in seriem protendere τῶν μικροκοσμῶν
Quos intus clusos maximus orbis habet.

ARTIS ESPLICATIO.

Sint in subiectis in animatis animata subiecta: eademque fixa vt de loco ad locum non egrediantur.

Habeant inanimata subiecta quinque locales differentias vnde animalia muta sonum emittant.

Adsint unicuique animato subiecto organa viginti quatuor vel triginta specierum, quibus ad dictas quinque locales versum differentias: pro indigentia atque necessitate exprimat exprimenda.

Sufficiat autem tibi singulos vnum sonum emittere. Experti quippé sumus satius esse atque consultius ad appositorum firmitudinem, subiectis multis audacter, quam paucis hesitanter operari cum formidine.

Organa quatuor generum habeto. Prima quidem quibus apte ad dexteram & ad læuam.

Secunda quibus sursum. Tertia quibus deorsum. Quarta quibus in conspectu peragenda perficiat animal rationale.

Commodum igitur futurum esse credo & maiori effectum solertia, si singula quæque ad dictas quinque differentias perpetuum habeant organum, quod nouis speciebus aduentantibus mouetur.

Pro mediantibus elementis designandis emicent è regione in operantem formæ tales quæ L. R. & N. significent.

Pro consequentibus vero aliis designandis, sint quæ tibi præsentia faciant pro terminatiuis in Latino, Græco, Italo Hispano, & Gallo Sermone.

B. P. M. L. R. S. N. C. T. G. D. F. A. E. I. Y. O. V.

Præcipiant ergo aliæ artes vagari animalia, organa autem manere: ista sané sibi magis oppositum inhibendo complacet.

Porro si notiora tibi nota fuerit animata, quám inanimata subiecta quemadmodum est de necessitate verum: quid quæso prohibet plura (dummodo loco seiuncta sint) eidem animato in anima tribuere, vel eisdem eodem ordine positis aliam tribuere regionem?

Sic tibi diuersa penetranti climata, eadem vsuuenire adiectibilia quam commode possunt pro rerum memoria magis quam vocum ipsarum.

ALIVS ARTIS MODVS.

Si placeat animatis subiectis frequentes perpetuásque tribuere actiones quibus pro rerum explicandarum opportunitate tibi centum organa, vel eorum consequentia, vel concomitantia, vel mouentia, vel turbantia, vel auertentia, vel superuenientia, fingas accedere: fortasse tibi feliciter succedent.

ÆNIGMA ET PARADIGMA

docens insensibile elementum ad necessariam speciem & numerum sensibilitatis promouere.

IDEM AD ALIAS INNV-

meras industrias viam aperit latissimam si eius applicatio vnica percipiatur.

Irrugit hæc aliud rutilum si spectat ad ortum,
Primum ostentanda est frons vbi solis equis.
Non pariter clamans obtutum dant vbi sero
Vltima Phœbe tui tergora quadrupedes.
Non simile est resonans, vigilem spectando Bootem
Nolano adstantem nocte diéque Solo.
Haud pariter versa hæc vbi tellus corpore denso,
Obsistens lumen occulit vrsa tibi.
Diuersum dictis quintum tunc intonat, in se
Non oblita sui cum fera tota sidet.
At si eius vocem saxosum prenderit antrum
Flectitur vnd' aer restituendo sonum
Aut tibi vox resonat: vel si contenderit vsus,
Euersam reddent versa elementa notam.



FINIS.

PHILOTHEI

IORDANI

BRVNI NOLANI CAN-
TVS CIRCÆVS AD EAM
memoriæ praxim ordinatus
quam ipse Iudiciariam
appellat.

AD ALTISSIMVM PRINCI-
PEM HENRICVM D'ANGOVLESME
magnum Galliarum Priorem, in Pro-
uincia Regis locumtenentem, &c.



PARISIIS,
Apud Ægidium Gillium, via *S.* Ioannis
Lateranensis, sub trium coro-
narum signo.
M. D. LXXXII.

ILLVSTRISSIMO ALTISSIMOQVE PRINCIPI HENRICO D'ANGOV-

lesme Magno Galliarum Priori, Prouinciæ Gubernatori, ac Locumtenenti generali, & totius maris orientalis pro Regia Maiestate Admiralio Io. Regnault eiusdem Illustrissimi á secretis Consiliarius.

Cum ad manus meas, Altissime princeps, duplex de cantu Circæo & eius ad memoriæ Artem applicatione Dialogus peruenerit; cúmque artis ipsius excellentia, & fructus non me lateat: dignissimam quæ nobilibus & generosis ingeniis communicaretur existimaui. Materiam enim minime vanam, de rebus maxime desiderabilibus comprehendit. Mitto quod præter titulum, & artis elementa nihil habet cum aliis hactenus editis commune: eáque admittit propria, quæ Iordanum non solum autorem sed & frugi inuentorem testificabuntur. Ad hæc artis istius editio ad eius famam, & iustificationem pertinet: accidit enim eius exemplaria successu quodam fuisse vitiata: & conspurcata circumferantur: quatenus & auctor reddatur vulgo suspectus, & Ars minus commendabilis. Consultum ergo mihi fuit eam ipsam artem habentem pro titulo prohemium (in quo quæ promitti possunt proponuntur) cum suo progressu cuius erat exemplar apud me, fidelissime vt olim quibusdam dictata fuerat, vtque dialogo Circæo cum eiusdem applicationibus ad augmentum & non modicum orna-

mentum & claritatem facientibus postea per Ior. est efformata, in lucem edere. Cui quidem amico consilio atque sententia libentissime vt par erat consentiuit Iordanus meque rogauit vt (cùm sit ipse grauioribus negociis intentus) ego eam ipsam curam susciperem & complerem. Post igitur aliam artem per ipsum editam, & christianissimo Regi dicatam: quæ de vmbris idearum intitulatur: hanc ego edendam suscepi, quæ quidem illud habet peculiare, atque proprium: vt memoriam verborum seu dictionum quam aliæ artes inter millibus suppositis imaginibus, & centum millibus locis difficile complebant: ista in centum, & viginti præcipuis formis (vt ipse loquitur) subiectiuandis: iuxta terminorum, sententiarumque numerum facillime perficiet, determinatis operationibus insigniis, circunstantiis, & adsistentibus. Quibus efficit vt hæc ars pro memoria verborum longe minus labore, industria, & exercitatione: quam cæteræ omnes quæ legi possint indigeat. Adeo vt facilius, & certius hanc viam incedentibus præstent tres quatuorue menses, quam aliorum tramitem persequentibus, tres quatuorue præstare valeant anni. Quod sane artem hanc alijs comparare potenti non potest esse dubium. Quod veró ad memoriam rerum & sententiarum attinet: satis apertum est quod mox auditis artis præceptionibus: quilibet eadem possit pro sua vti capacitate: & ab eius profectu non est iudicij compos qui excludatur. Dictas igitur cum in ipsa singularitates acceperim dignum existimaui vt sub tui nominis splendore curreret: quatenus etiam obsequium perpetuæ seruitutis qua tibi ex toto pectore sum addictus, hoc etiam signo per-

cipere possis: vt & si qui fructum ex huius artis canonibus emetent, ipsum ex parte ad te, cuius secundis auspiciis est edita, referant. Interim celsitudo tua muneris exiguitatem , animi affectúsque magnitudine compenset obsecro. Vale, & quamdiutissimé Regiæ Ma. Patriæ, & admnistrationi tuæ, tuisque fœlix & incolumis viue.

Tuæ amplitudini addictiss. & obsequentissimus seruus Io. REGNAVLT.

IORDANVS LIBRO.

Visurus magam magni solis filiam,
His procedens é latebris,
Ibis Circêum liber in hospicium,
Haud arctis arctis clusum terminis.
Balantes oues, mugientes & boues,
Crissantes hœdorum patres
Visurus, vniuers' & campi pecora,
Cunctasque syluæ bestias.
Concentu vario errabunt cæli volucres,
In terra, in vnd' in aere.
Et te dimittent illæsum pisces maris,
Naturali silentio.
Tandem caueto, quando domum appuleris,
Inuenturus domestica:
Namque antè fores, aditumqu' ant' atrii,
Limosum se præsentans
Occurret porcus, cui si forté adhæseris:
Limo, dentibus, pedibus:
Mordebit, inquinabit, inculcabit,
Et grunditu t' obtundet.
Ipsis in foribus, in aditugu' atrii,
Morans genus latrantium:
Molestum· fiet baubatu multiplici,
Et faucibus terribile.
Hoc ni desipias, & nisi desipiat,
Metu dentis, & baculi,
Te non mordebit, ipsum non percuties,
Perges, nec te præpediet.
Quæ cum solerti euaseris industria,
Interiora subiens:
S olaris volucer te gallus excipiet,
Solis committens filiæ.

PHILHOTHEI IORDANI
BRVNI NOLANI CANTVS
Circæus, ad Memoriæ praxim ordinatus.

DIALOGVS PRIMVS

Interloquunt. Circe & Moeris.

Circe.

Sol qui illustras omnia solus. Apollo, carminis author, pharetrate, arcitenens, sagitti-potens, Pythie, lauriger, fatiloque, pastor, vates, augur, & medice. Phæbe, rosee, crinite, pulchricome, flaue, nitide, placide, cytharæde, cantor, & veridice. Titan, Milesi, Palatine, Cyrrhæe, Timbræe, Deli, Delphice, Leucadice, Tegæe, Capitoline, Smynthæe, Ismeni, & Latialis. Qui mirabiles impertiris naturas elementis: quo dispensante tumescunt, & sedantur maria: turbantur & serenantur aër & æthera: viuida quoque intenditur, reprimitúrque ignium vis atque potentia. Cuius ministerio viget istius compago vniuersi, inscrutabiles rerum vires ab ideis per animæ mundi rationes ad nos vsque deducens & infra, vnde variæ atque multiplices herbarum, plantarum cæterarum, lapidumque virtutes, quæ per stellarum radios mundanum ad se trahere spiritum sunt potentes.

Adesto sacris filiæ tuæ Circes votis. Si intento, castóque tibi adsum animo, si dignis pro facultate ritibus me præsento. En tibi faciles aras struximus. Adsunt tua tibi redolentia thura, sandalorúmque rubentium fumus. En tertio susurraui barbara & arcana carmina. Peractæ sunt lustrationes. Septem suffituum genera pro septem mundi principibus expediuimus. Solutiones & ligamenta de more sunt peracta. Sygillauimus omnia. vnum abest vt præcationum quæ præcurrere debuerunt, quæque ad suos repetitæ sunt numeros concupita proferamus. Mœri inspice lineam, & vide an adhuc altum cæli sol teneat.

MOERIS. Nil abest.

CIRCE. Conuertor igitur ad te meridianum solem, per mirabilem potentiam qua vnus tam plurima facis. Per concitatorum equorum tuorum cursus, qui vniuersa detegens duo latentia percurris hemisphæria. Quis quæso rerum modus est? Ecce sub humano cortice ferinos animos. Conuenit ne hominis corpus vt cæcum atque fallax habitaculum bestialem animam incolere? Vbi sunt iura rerum? vbi fas, nefásque naturæ? Si repetiuit Astræa cælum, cuius ne vestigium quidem terra videat: cur non de cælo saltem apparet Astræa? Ecce subiuimus minimé occultum Chaos. Cur non miscentur ignibus maria, & limpida nigris terris astra: si in terris ipsis & earum gubernaculis nihil est quod faciem demonstret suam? Ipsa ne nos mater natura decipit? Matrem dixerim an nouercam? Veritati nil ipsa odibilius esse debet falsitate: bonitati nil ipsa malitia molestius. Non est, non est certé modicum ô clarissima mundi lampas, quod & visibilium, et non

sensibilium ratiocinantum circumueniamur ingeniis. Cur ergo similem debuimus in ipsa natura ypocrisim experiri? Si perpauci hominum animi sunt effincti, cur quæso tot hominum sunt efformata corpora? Conuertere igitur ad partes tuas ô Sol, & tantum naturæ & dignitatis tuæ præiudicium vindicato. Insignito Circem tuam tu cæteríque præpotentes dii, vt eidem potentia qua ministerialibus spiritibus proximísque corporum istorum formatoribus imperare valeat.

Adiuro vos per mendaces vultus errorum ministros, per altam præsidum naturæ potentiam, vt à singulis brutalium specierum indiuiduis humanam abstrahentes faciem, in suas ipsa faciatis extrinsecas atque veraces prodire figuras. Si quando repressum cursum obire debent flumina. Si quando altum suum arripere debent ignes. Si nullum est æterno violentum. Si tandem omnia suos ad terminos debent appellere. Mutatur ne aliquid Mœri?

Moeris. Nil prorsus.

Circe. Adiuro vos iterum quid trepidatis? quid hæretis vectores formarum, sygillorum naturæ falsificatores. Iuppiter verax, cuius per vos est læsa maiestas vobis imperat. Cogit vos pater hominum, in cuius virtute vos ter, atque quater adstringo. Impero quoque vobis per cæteros qui supra cætera animantium genera habent imperium deos: vt sophistico hominum remoto vultu non impediatis quominus singulorum in lucem conspiciendæ prodeant figuræ. Respice Mœri.

Moeris. Nil adest noui.

Circe. Tertiam igitur adiurationem aggrauabo.

Iterum ad te manus tendo meas, ô sol. En tibi tota adsisto. Explica rogo te leones tuos, tuos lynces, capros, cynocephalos, laros, vitulos, serpentes, elephantes & cætera animalium istorum ad te pertinentium genera. Alciones, hirundines, coturnices, coruos, cornices, capellas, cicadas, & scarabeos, cæteráque tui generis volitantia. Testudinem, pholim, tunnum, raiam, cethe, cæteráque id genus tua. Qui Vbius, Alexicacus, Phanes, Horus, Apollo diei, Dionysius noctis, & Diespiter diceris. Cuius virtutem aurum, hiacinthus, rubinus, & carbunculus mihi vicariam subministrant. In medio regiminis planetarum reuerendè, cursum præmonstrans & commonstrans omnium: educens, producens, & maturans vniuersa, regnantium, & consiliariorum domine, fulgentibus radiis celeberrime. Si tu princeps mundi, oculus cæli, speculum naturæ, architectura animæ mundi, & sygillus alti architectoris. Te quoque lunam appello. En & adsisto tibi. Profer (rogo te) tuos mergulos, grues, buteones, cyconias, graculos, anates, anseres, cæterásque volucres aquaticas. Lumacas, ligurinos, palmipedes, salpas, araneas, ictices, iuersas, lacertas, tuáque generis istius vniuersa: Rubetam, ranam, cancros, limacas, ossolas, tuáque cætera natantium. Te appello: quam Hecaten, Latonam, Dianam, Phæben, Lucinam, Triuiam, Tergeminam, Deamque triformem dicimus. Si agilis, omniuaga, pulcherrima, clara, candida, casta, innupta, verecunda, pia, misericors, & intemerata. Iaculatrix, honesta, animosa venatrix, regina cæli, manium gubernatrix, dea noctis, rectrix elementorum, terræ nutrix, animantium lactatrix, maris domina, roris mater,

aëris nutrix, custos nemorum, syluarum dominatrix, tartari domitrix, laruarum potentissima insectatrix, consors Apollinis. Adsis Menala, Euxina, Pisæa, Latona, Auentina.

En & tibi Saturne senex erigor. Affer (rogo potentiam tuam) tuos asinos, bubulos, camelos, ceruos, talpas, lepores, mures, sues, basiliscos, feles, simias, hienas, siluros, mures, bufones, origes, cæteráque tui generis terrestria. Vespertiliones, noctuas, gallinas, muscas, brucos, locustas, cuculos, aliásque tui generis aues. Anguillam, polypum, sepiam, spongiam, & reliqua tui generis aquea. Falcipotens, grandæue, mature, lente, tarde, verende, falcate, tristis, sapiens iudiciose, profunde, penetrator, rimator, scrutator, cogitabundè, & contemplator. Ætatum dominator, agrorum cultor, falcis inuentor, temporum gubernaculorum moderator, currentis minister æternitatis, emensorum metitor spaciorum, duratione intransibilem æquans sempiternitatem. Deorum parentis pater, adportans, & asportans vniuersa sub voraci tempore, orditor eorum quæ fiunt, seruator eorum quæ durant, & absumptor eorum quæ intereunt. A quo draconibus tractum toties sum mutuata currum. Qui Iouem igneo æthereóque cælo, Iunonem aeri, Neptunum mari, & Plutonem inferno deos genuisti. Adsis pater ætatis aureæ. Leucadie, Cretensis, Itale, Latie, Auentine.

Ad tuum quoque tribunal convertor ó Iuppiter, ede (exoro te) tuas aquilas, percnopteros, pygargos, perdices, pellicanos, cyconias, anthos, iliades, turdos, apes, cæterásque tui generis aues. Elephantos, subulones, ceruos, satherios, boues, cameleontes, aliáque generis

istius animantia. Delphinos, siluras, mugiles, glaucos & alia quæ tibi degunt in vndis. Fulminator, inuictissimé, iudex, prætorie, magistralis, dux, princeps, rex, imperator, & monarcha. Opulente, xenie, hospitalis, verax, & religiose. Hilaris, liberalis, pie, regalis, magnifice, misericors, & iustificator. Deorum fortunatissime. Vniuersam de fato felicitatem contrahens, veritatis amator, promotor potentatum, seruator maiestatis, fons vniuersæ lætitiæ. Stator optime, legislator populorum, conciliator deorum. Qui diuum omnium pater appellaris. Cuius incessu geminus mundi cardo contremiscit. Adsis Olimpice, Dodonæe, Pæanomphe, Idæe, Phrigie, Tarpeie, Lybice, Pysæe, Gnidie, Molosse, Ausonie, Elysie, Latialis.

Te quoque Mauortem aduoco, ne dedigneris tuos hic promere scorpiones, serpentes, aspides, viperas, hircos, hœdos, pardos, canes, cynocephalos, apros, pantheras, lupos, onagros, equos, hyppelaphos, vulpes, tuasque cæteras bestias atque feras. Accipitres, falcones, sabbuteones, strutiones, gryphos, percas, miluos, alias rapaces volucres & vespas. Fucam, draconem, crocodilum, chroneum, torpedinem, narum, & alia quæ tibi degunt in aquis. Gradiuum, bellicosum, masculinum, acutum, terribilem, collilatum, villosum, minacem, indomitum, truculentum, belliparentem, cruentum, infaustum, impauidum, frementem, ambiguum, trucis aspectus deum, latis incedentem passibus, robustum, horrificum, ferreum, armisonum, furentem, efferum, horridum, crudum, homicidam, rabidum, turbidum, infestum, rapacem, atque funestum. Ardentibus oculis terribilem, ignem è naribus efflantem, magnæ graui-

tatis ducem, truculentæ factionis gloriosum principem, callidum cordis litigantium incensorem, euaginato gladio omnem tibi vim adaperire potentem, potentiarum & robustorum omnium inuictum dissipatorem, soliorum irrefragabilem euersorem, cui obsistenti resistit nemo, quem metus & discordia antecedunt, cui furor iráque ministrant, & quem mors sequitur, maxime omnium formidanda. Adsis Scythonie, Threiicie, Bistonie, Strimonie, Odrysie, Melyte, Getice, Quirine.

Adsis & tu dea tertij cæli Venus, quam & Esperum, Bosphorum, & luciferum dicimus. Oro te, prome tuas columbas, turtures, pauones, ficedulas, galgulos, passeres, pelecanes, harpas, pifices, olores, cygnos, palumbos, sturnos, chenalopices, & non nominatas aues tuas. Lepores, hinnulos, equas, formicas, fringillas, cæteráque specierum istarum animantia. Phocam, ruticillam, sagum, vitulum & vndicola tibi natantia. Venus alma, formosa, pulcherrima, amica, beneuola, gratiosa, dulcis, amena, candida, siderea, dionea, olens, iocosa, aphrogenia, fœcunda, gratiosa, larga, benefica, placida, deliciosa, ingeniosa, ignita, conciliatrix maxima, susceptrix optima, amorum domina, harmoniarum ministra, musicalium dictatrix, blanditiarum præposita, saltationum moderatrix, ornamentorum effectrix, vniuersorum compago, rerum vinculum. Tu ex tota primi deorum parentis Cælij propagatiua virtute exorta, tu continuam animantibus successionem præbens, tu voluptatum & gaudiorum omnium vniuersalis propagatrix, tu inaccessorum arduorúmque omnium penetratrix, tu potens deorum omnium trium-

phatrix. Adsis dea Paphia, Cypria, Ericina, Calydonia, Samia, Idalis, Gnidia, Cytheræa, Capitolina.

Ad me conuertere Mercuri, qui & Hermes, & Stilbon, filius Maiæ, & Athlantis nepos generosus diceris. Coge, me rogante tuas vpupas, apes, luscinias, meropes, orchilos, monedulas, ardeolas, penelopes, philomelas & alias aues tuas. Item paros, pantheras, ligurinos, herinaceos, mustelas, mulas, & eius generis alia. Trochilum, squatinam, cancellum, murenam, pastinacam cum cæteris eiusdem speciei. Mercuri caducifer, galerate, pinniger, alipes, iuuenis, pulcherrimé, virtuose, strenue, impiger, agilis, volucer, diligens, conuertibilis, sapiens, scriba, pictor, cantor, vates, inuentiue, disputator, numerator, geometra, astronomé, diuine. Reconditorum penetrator, occultorum elucidator, enigmatum enodator, deorum interpres, nuncie facundissime, ratiocinator maxime, notarie solis, superum, & infernorum conciliator, vtroque sexu fœcundissime, mas maribus, fœmina fœminis, arbiter numinum, inuentor cytharæ, artibus omnibus sufficientissime. Adsis Arcas, Tegæe, Memphitice, Ægyptie, Atheniensis, Palladie, Olimpice.

Adeste simul omnes septem mundi principes, & in Circem vestram intendite, vt vestra mutuata potentia (quam in vicariis vestris herbarum succis, & ignium fumis, & lapidum appensionibus insinuo) administratores figurarum valeam adstringere, vt vel coacti faciant alius generis viuentium species latentes (ementita hominis recedente figura) ex occultis in apertam prodire lucem.

Iterum ergo atque iterum coniuro vos, atque confir-

mo, vastatores iniqui, impudentissimi, impij, pertinaces, non me fugietis. Recedant, recedant vel inuitis nobis humani vultus á bestiis. Potenter vobis impero in conspectu solis istius, per Iouem altitonantem, & per deos omnes qui segnitiem & tergiuersationem vestram vlciscentur. Creditis ista deos non curare? En literæ deorum sacræ: quas in hac lamina ostendo. En quos in aerem explico characteres. En vestigium magni sygilli. Mœri, explica membranam in qua sunt potentissimæ notæ, quarum mortales omnes latent misteria. Hæc sunt quibus ipsas credimus nos posse mutare naturæ leges: cur non per ipsas licebit easdem impié prophanatas instaurare? Adde ignibus thura, fumigiorumque cæteras species, hæcque dum ipsa submurmurauero, respice de fenestra quid se turba fiat:

Moeris. Mirabile visu Circe, mirabile, de tot quos vidimus hominibus, tres quatuórue tantum, qui trepidi ad tuta confugiunt remansere. Cæteros omnes quorum alij in proximas se recipiunt cauernas, alij in arborum ramos aduolant, alij se dedant in proximum mare precipites, alij domestici magis ad nostras fores adproperant: in diuersi generis animantia video transformatos.

Circe. Imó proprias explicauere formas. Futurum est vt inculper Mœri: beneficam Circen maleficam imprudentes homines appellabunt. Ij qui adhuc perstant veri sunt homines: illos nec vult, neque potest cantus noster attigisse.

Moeris. Terrore concutior mea diua & regina, quoniam visu terribiles nobis bestiæ comminantur.

Circe. Paulo ante formidabas?

MOERIS. Minimé quidem.

CIRCE. Nunc igitur minor tibi datur timoris occasio.

MOERIS. Cur id?

CIRCE. Non enim differunt hæc quæ modo vides bruta & bestias (vt & ipsa nosti) ab iis quos paulo ante videbas homines, præter quam quod apertos nunc habent vngues, dentes, aculeos, & cornua quæ latebant. Imó & hoc te non ignorare volo, quod cum illo careant organo, quod est ad ipsa animorum intima ledenda efficacissimum: longe minus nocua, atque formidanda sunt effecta.

MOERIS. Quid ipsum?

CIRCE. Lingua.

MOERIS. Dij me ament quid fecerint magis timeo quam quid dixerint.

CIRCE. Minus ideo sapis. At & hoc indicabo tibi quod & nunc pro eo in quo versaris formidinis genere minus debeas esse solicita. Ipsi enim, quorum alios cornutos, alios aculeatos, alios ita dentatos, alios letiferé vnguitos aspicis: erant omnes atque singuli cornu simul & aculeo, & dente, & vngue terribiles. Iam diuersa atque singularia quibus se tueri, & alios ledere possint arma nacti sunt, cúm prius haberent omnia.

MOERIS. Quonam pacto id mihi suadebis?

CIRCE. Nescis eum qui manu armatur magis omnibus armari? nescis manum omnibus carere armis: vt omnibus præpotens esse possit armis? ignoras ipsam sibi & aculeos, venena, & cornua, & dentes adaptantem, á nullis sibi timere bestiarum insultibus, & eo tantum instrumento animantibus omnibus quæ videntur imperare consueuisse? Temeré igitur & impru-

denter es facta timidior. Omnem igitur formidinem pelle ex animo, omnem abigas ambiguitatem, & mecum in ipsorum examen pergito.

MOERIS. Non possum non timere præsentia, aptata, atque conuersa contra nos inermes atque debiles cornua, cæteraque quæ video mortis instrumenta.

CIRCE. Tutó propera, facili carmine superabimus omnia.

MOERIS. Id si dea potens polliceris, nihil hesitans pergo.

CIRCE. Principio isthæc domestica vestigemus animalia. En proximos nobis porcos qui fugam versus tecta arripuere, facillimé omnium istos sub humano cortice cognouisses.

MOERIS. Facillimé quidem.



Circe. Porcus enim est animal A, auarum. B, barbarum. C, cœnosum. D, durum. E, erroneum. F, fœtidum. G, gulosum. H, hebes. K, Kapitosum. L, Libidinosum. M, molestum. N, nequitiosum. O, ociosum. P, pertinax. Q, quærulum. R, rusticum. S, stultum. T, turgidum. V, vile. X, lunaticum. Y, auriculatum. Z, mutabile, ꝯ, non bonum nisi mortuum.

Moeris. Cum elementarium porcinum institueres Circe, vnum de mage necessariis elementum prætermisisti.

Circe. Non illud inconsulté factum, quia ipsum est tum in aliis omnibus elementis implicitum, tum & ipsorum elementum videtur elementorum. In vno ergo adferantur omnia, sicut in omnibus allatum est vnum. A ingratum. B immundum. C inconsultum. D infidum. E inconstans. F impaciens. G indiscretum. H inciuile. I impudens. K impetuosum. L incautum. M infaustum. N ineptum. O iniquum. P inhumanum. Q immite. R inuerecundum. S inquietum. T insanum. V intemperatum. X ignobile. Y incultum. Z inhospitale. ꝯ immemor.

Moeris. Et ego per numeros ex naturalibus ipsum considerabo. j. Paruos habens oculos, hosque non nisi gulæ inseruientes. ij. acutas habet aures. iij. peramplas fauces. iiij. immunditias ad omnes nares adpositas. v. læsiuos dentes. vj. augustum. angustum volo dicere frontem. vij. cerebrum pinguiusculum. viij. caudam semper mobilem, semper adnodantem, nunquam veró nodantem. quasi semper negociantem, & numquam proficientem. ix. ventrem habet vnum & ampliorem. x. dentes nunquam amittit. xj. intra eius ossa nihil

aut modicum reperies medullæ. xij. quadrupedum omnium difficile pilum mutat, aut amittit. xiij. habet pediculorum genus familiare. xiiij. propriam habet ad coitum vocem. xv. fœmina eius ipso mare est vocalior. xvj. acerrimé sæuit tempore coitus. xvij. fœcundissimum multorum animalium. xviij. non est vno cibo constans. xix. facile in omnibus cibi generibus assuescit. xx. pabuli mutatione, & varietate maximé gaudet. xxj. illius qui glandibus est pastus caro, magis, meliúsque sapit. xxij. in urbanum & syluestre genus diuiditur. xxiij. ibi deliciosius degit vbi lutum repperit. xxiiij. brutale omnino.

Tot igitur indicia sui cúm porcus habeat, quis ipsum facilé (quantumcumque sub homine lateat) non cognoscet? Si tibi videtur domina, cætera vnico, magísque adcommodato signo persequamur: præstare enim videtur leuius multa tangere, quám duo comprehendere, vel vnum.

Circe. Ita faciendum.

QVÆSTIO PRIMA.

Moeris. De pluribus quæ video canum generibus, cæteris omissis vt hac quæ mordax est & proprié Cynica, quæ non minus est ipso porco illustris: quomodo istud ignauum canum genus sub humana figura potuissem agnoscere?

Circe. Ipsum est genus illud barbarorum, quod quidquid non intelligit damnat atque carpit: vt modo ignaui & ipsa figura noti canes allatrant in ignotos

omnes etiam beneficos, in perditos etiam atque scelestissimos notos mitiores.

QVÆSTIO II.

MOERIS. Asinos modo prætermittam: de ipsis n. alias grauius, atque maturius considerabitur. Hos asinorum filios puta mulos, qua nota dinoscere potuissem?

CIRCE. Ij sunt qui vt philosophi haberentur & eloquentes: nec philosophi nec eloquentes erant. vt poëtam iactantes & oratorem: neutrum essent. vt sub titulo legistarum atque scholasticorum: nec tales haberentur neque tales. vt grammatici & disceptatores: in vtroque deficerent munere. vt mercatores & nobiles: secretius ignobilitatis genus incurrerent. vt togati & armigeri: bello essent & literis inepti. vt aulici & religiosi: etherocliti generis se præstarent animal. vt pulchri & terribiles: neque fœminam ederent neque virum. veluti modo ex equa matre & asino patre, non sunt equi nec asini: & ruditum cum hinnitu mixtum habent.

QVÆSTIO III.

MOERIS. Hyrcos quid mihi significasset?

CIRCE. Vel odor hyrcinus, vel quod quandiu viuunt, tamdiu coeunt. vel hoc quod gestiunt cum socium cum sua fœmina coeuntem viderint, tunc præ gaudio crissant, & exultant vt arietes.

QVÆSTIO IIII.

Moeris. Quomodo potuissem simias obseruare?

Circe. Vel ab ipso naso, vel ex hoc quod cúm optima quæque affectarent, vt vel optimam poësim, vel sophiam, vel orationem, vel hystoriam: infælicissimé tamen in omnibus se gerebant. Ex hoc inquam quód tendentes ad optimum inciderint in pessimum. vt nunc vides, quód cúm hominem animalium pulcherrimum imitentur, hoc ipso fiunt maximé omnium deformes.

Moeris. Non obstante quod simius simio pulcher.

QVÆSTIO V.

Moeris. Quomodo distinxissem ab isto genus illud aliud simiarum?

Circe. Illi in seriis grauibúsque rebus inutiles, magnatibus adulando, & hystrionando, & parasitos agendo placebant: vt modo cúm non valeant cum asinis ferre onera, cum equis militare, arare cum bobus, cum porcis mortui pascere: sic tantum vsuueniunt vt risum faciant.

QVÆSTIO VI.

Moeris. Est & tertium simiarum genus sepositum, respice ad ripas fluuii, quid illud indicabat?

Circe. Erat videre barbarum parentum genus, inurbanos, inciuiles, & malé natos educans filios, dum immodico & irrationali affectu moribus illorum indul-

gerent: vt modo vides in propria forma catulos suos strictius amplexando necare.

QVÆSTIO VII.

Moeris. Qua nota cameios aspexisses?

Circe. Dicam. Cúm sub eo quod hominis est latitarent, puris rebus minimé delectabantur, sed cuncta ad morem suum conspurcata probabant: de quorum genere sunt qui sapientum monimenta puerilibus & sordidis infecta adiectionibus suscipere malunt, aut suscipi: vt modo totum camelum præferentes potu minime gaudent, nisi cúm pedum conculcatione turbata fuerit aqua.

QVÆSTIO VIII.

Moeris. Isti proximum genus & capite persimile non cognosco. hæret enim cameli capiti ceruix equina, maculísque intincto dorso tigrim refert, & pedibus bouem.

Circe. Cameleopardales ipsos appellant, quos inde percipere potuisses, quia ritu quodam erant deorum cultores, voce carnifices, vita diuerso vitiorum genere immundi, scripturæ monumentis bubulci.

QVÆSTIO IX.

Moeris. Qui erant hienæ gestus?

Circe. Blandiebantur obsequio, vt in perniciem traherent: vt modo humanam sciunt referre vocem,

& homines proprio quod audierint nomine aduocare, quos discerpant.

QVÆSTIO X.

Moeris. Videtur adstare & aliud hienæ genus.

Circe. Ipsum idem sub actionibus diuersis agnouisses. vides quemadmodum adcurrant ad hominis excrementa, quæ si altius essent (vt nequeant attingere) suspensa : porrectu corporis lassæ interirent. Iisdem cúm homines referrent, fœdissima quæque habebantur dulcissima, & de optimis ipsum pessimum consulebatur accipere. Sicut in saccis quibus vina colantur apparet: ipsi enim vina effundentes, solas sibi retinent feces.

QVÆSTIO XI.

Moeris. Ceruorum genus istud tam celebriter cornutum?

Circe. Isti sub quorundam principum tegumento latebant, quibus si quid placebat, id procul percipiebant: si quid minus arrisisset quamtumuis clamasses non intelligebant. vt modo si arrigant aures, acutissimo pollent auditu: si demittant surdissimi sunt.

QVÆSTIO XII.

Moeris. Quid nos in elephantum prospectum adduxisset?

Circe. Hoc quod nares habebant pro manu, vel

quod carentes manibus, vtebantur naribus: nihil enim ipsi cúm facere nescirent: in aliorum factis iudicandis tantummodo occupabantur.

QVÆSTIO XIII.

MOERIS. Quis vrsos istos olfecisset?

CIRCE. Quicumque expertus esset illorum naturam contumacem, barbaram, atque feram: quos pariendo, fouendo, nutriendo, & lambendo promouerit. Hoc enim animal quantumuis lingua aliisque oris lenimentis ex infigurato rudíque partu formetur: ferum tamen adolescit, durum, & alpestre.

QVÆSTIO XIIII.

MOERIS Quis leones cognouisset?

CIRCE. Qui considerasset quod cúm principes essent, á viribus infimorum conuitiis illis erat metuendum. veluti nunc natura ipsa coguntur cristam, vocemque galli formidare.

MOERIS. Nunquid proprea in feras sunt mutati?

CIRCE. Minimé, sed erant ipso addito furore leones.

QVÆSTIO XV.

MOERIS. Cætera illa maiora alias consideranda relinquo. Qua nota istricem mihi potuisses indicare?

CIRCE. Nonne vides ipsum aristas spinásque suas non nisi prouocatum, accitum, instigatum, & compulsum iaculari?

MOERIS. Intelligo.

QVÆSTIO XVI

Moeris. Echinos facile oognouissem, quia vt modo spinas, spinis circumquaque contecti ingrediuntur: sic olim in omnibus negociis acerbitatem seruabant, cúm animum intus asperum retinerent.

Circe. Veré quidem.

QVÆSTIO XVII.

Moeris. Vnde pro testudinibus illos diuinassem. & quale testudinum genus (omissis aliis) est istud?

Circe. Hi extiterant magnifica expectatione allecti ad aulas principum, quarum deliciis delectari poterant, adusque vt eis postea liberé in suum se ocium atque quietem recipere non licuerit: veluti nunc humano deposito velamine, & suo apparentes cortice contectæ, cum meridiani solis oblectatæ calore, totum illi excalfaciendum dorsum exposuerint, adeo potentia solis ipsarum corticem exsiccauit, vt eodem quasi supernatante subere repressæ: nequeant ad tutiores, interiorésque recessus adnatare, vnde & nullo negotio iam possunt á venatoribus captari. Hoc testudinum genus Indicum appellant.

QVÆSTIO XVIII.

Moeris. Quid ais de cancris istis quos pinnoteras appellant?

Circe. Nonne vides quemadmodum sub inanibus se condunt concharum testis: minores sub minoribus, sub capacioribus autem maiores? Iam videre licebat multos qui cum per sese nihil valerent: propria diffisi sufficientia, maiorum dominorúmque suorum titulis tuebantur.

QVÆSTIO XIX.

Moeris. Vidisses crocodillos?

Circe. Contra plaudentes ferociebant, concedebant autem contemnentibus & obstantibus: vt modó terribiles extant in fugaces, fugaces in terribiles.

QVÆSTIO XX.

Moeris. Aspides quoque?

Circe. Hi in parentes, magistros, & beneficos: contumeliosi, ingrati, homicidæ: vt modó filij, matres morsibus enecant.

QVÆSTIO XXI.

Moeris. Quomodo illuxissent isti pro chameleontibus?

Circe. Vel quia adulatores & imitatores omnium præter quám eorum quæ onesta & clara videntur: sicut nunc præter rubrum, atque candidum, colores omnes imitantur. Vel quia aura popularis eos alebat nec quippam aliud ab humana laude & gloria aucu-

pabantur. Aspice illos ore semper hiantes, vtque alio quám aëre non pascantur. Vel quia intra maximum quem habent atque capacissimum pulmonem nil possident: veluti iam præter ventosam iactantiam nil potuissent animorum notomistæ in ipsis contemplari.

QVÆSTIO XXII.

Moeris. Vno dic verbo, quis aspectu homines, conuicisset esse aquaticos istos?

Circe. Dicam. Qui illos malorum turpiumque libenter auditores & imitatores considerasset: ita. n. Sycias comperisset, quæ modo id quod in corpore pessimum est, & insuaue potenter attrahunt. Illos Polypos cognouissent, si vidissent quomodo diuersorum se moribus adcommodando, & animalium diuersi generis (vt aucupes facere consueuere) fingendo voces: rem domesticam nouerant simulando augere, quemadmodum modo coloris mutatione venantur.

QVÆSTIO XXIII.

Moeris. Dimissis istorum speciebus aliis, aliás considerandis: leuemus oculos Circe ad aues istas quæ ad proximam Syluam & eminentias aduolare. Qui erant hyrundines quæ in ipsis nidulantur tectis? Suo satis vultu ipsas eos figurare fertur qui vultum suum serenante fortuna amicis aderant: qua sæuiente & inconstantem obnubilante faciem. terga dabant: vt modo veris tempore nobis adsunt, hyeme veró vrgente recedunt.

Circe. Bene. Sed & in hoc cognosci poterant, cúm sub hominis tegumento simul cum veris conuersarentur hominibus, & humanas adirent patrias, atque domos, de abiectis paleis, & festucis eorum se adcommodantes: ipsis tamen non poterant assuescere: sicut & mures nequeunt cum hominibus conuenire, quantumuis sub eodem degant atque viuant tecto.

QVÆSTIO XXIIII.

Moeris. Pauones quoque facilé cognouissem, videbam enim gloriosos altigrados, pennas colorésque suos amplantes, inflato pectore tumentes.

Circe. Certe. Sed & eos intelligere pauones debuisses, qui nihil nisi laudati faciebant: vt modo cum quis eos laudauerit, se pennis explicatis faciunt perspicuos.

QVÆSTIO XXV.

Moeris. Luscinias quoque non ignorassem. Erant quoddam loquacium hominum genus, qui multum dicebant vt multum sapere viderentur: quos quidem stultorum alebat existimatio: sapientibus æque atque stulti contemptibiles, quibus illud non latet quod dicitur. *VAS VACVVM MVLTVM SONAT.*

Circe. Optimé. Erat & quoddam garrulum poëtarum genus, quod inanibus modulationibus abundabat.

QVÆSTIO XXVI.

Moeris. Quem refert auis pusilla quæ vocem bouis imitatur?

Circe. Istos cognouisses cúm vilia, atque pusilla subiecta: sufficientia, animo, & natura viles: vocem (de rebus magnis loquentes, & decernentes) magnificabant.

QVÆSTIO XXVII

Moeris. Coccices noui, cum alienas vxores suorum facerent filiorum matres: vt nunc videmus oua in alienis supponere nidis.

Circe. Recte iudicasti.

QVÆSTIO XXVIII.

Moeris. Aquilam quam auem regiam appellant, contortis rapacibúsque digitis satis ipsam se declarantem, quis non cognouisset? quis ipsam sub homine vociferantem non audisset?

Circe. Certum est & aquilas multas sub quorundam potentum vultibus latere. Omnes aquilæ sunt potentes, atqui non omnes potentes, aquilæ. Neque enim Circen tuam ex hac parte aquilam dixeris, cúm deam asseras, atque reginam.

Moeris. Minimé quidem, sed quid esset iniuriæ? nonne & deorum pater Iuppiter ipse sub aquila latuit?

Circe. Recedis á proposito, iam de aquilis quæ sub

homine latebant loquimur, non de hominibus atque diis qui solent sub aquilis & animantibus aliis latere.

QVÆSTIO XXIX.

Moeris. Auem illam quæ aquilam videtur oppugnare, non cognosco.

Circe. Cybindum appellant. Aquila & Cybindus latebant sub specie principum, qui cúm inter se consererent, á tertio inuadente subuertebantur: vt modo ad usque cohærent vnguibus & rostro se dilacerantes: vt ad inferiora terræ mutuo conflictu depressi, ab aliis corripiantur.

QVÆSTIO XXX.

Moeris. Dij optimi nunquam adeó magnam auim vidisse memini.

Circe. Illa est strutio camelus auium maxima, atque stolidissima: quæ cum frutice collum occultarit, latere se existimat. Tales sunt & phasiani, tales sunt & mugiles, in aquis. Ipsam aspicere potuisses cúm homo ingenti corpore onustus atque mole, minimum habens iudicij præsentabatur.

QVÆSTIO XXXI.

Moeris. Siquidem multis volatilium communem esse constat rapacitatem & carniuoracitatem, quónam Circe vultures (si vultures sunt quos video, ob ipsas enim quæ superuenere tenebras non bene possum eas

quas ibi video nigras aues distinguere) signo seorsum ab aliis cognouissem?

Circe. Ipsi sunt vultures. Ipsi iam imminentes diuitum captabant mortes, quas pluribus præcedentibus annis olfaciebant: vt modo ad cadauera aduolant, quæ ante triduum futura præsentiunt. Sed nos famem futuram non præsensimus, & nimium volatilibus istis intentæ, tenebras in ipso extremo sentiuimus crepusculo: quæ stellarum nobis reddito conspectu, nos ab istorum animalium intuitu distraxere. Tectum ergo cœnaturæ repetamus.

Moeris. Crastinam ergo diem si lubet totam ad inspicienda reliqua destinemus.

Circe. Ita, si á magis vrgentibus non auertar.

QVÆSTIO XXXII.

Moeris. Sed diuersi generis noctilucas istas quæso domina Circe ne differas significare mihi, sub quibus latuisse possunt faciebus?

Circe. Isti sunt docti, sapientes, & illustres: inter idiotas, asinos, & obscuros.

QVÆSTIO XXXIII.

Moeris. Qui erant hoc adeo venustum, affabile, humanum, conuersatile, & officiosum animalis genus: quod ante nos vrgente nocte ad perticas domesticas aduolauit? Gallos inquam istos quomodo cognouissem?

Circe. Gallus cúm sit animal pulcherrimum, canorum, nobile, generosum, magnanimum, solare, impe-

riosum & pené diuinum: seipso tamen abutitur, & ob id vnum meliori exuitur forma: quod cum simili atque consorte, pro vilibus & ociosis gallinis vt plurimum in pugna commoritur, ísque qui victor euadit aliis oblectamen spectatoribus, cantu se testatur superiorem. Istum vidisses in illis latere, qui mutuis dissidiis mutuo se consueuerunt atterere, quíque sua in suos facinora cæteris ridiculi iactabant.

FINIS.

PHILOTHEI
IORDANI BRVNI
NOLANI DIALOGVS II.
applicatorius ad Artem Memoriæ.

Interloquut. ALBERICVS BORISTA.

ALBERICVS.

AMICE Borista, in lectione Circæi cantus, eiusdémque fictorum successuum, exigui quo vti licet temporis triuisse partem, non potest metedere. Ibi non modicam rerum conspicio varietatem, ibi multos in ipso verborum cortice sensus explicitos: intentiones quoque medullitus implicitas, innumeras esse coniicio, de quibus omnibus id quod seriosum est atque præcipuum, ignorare me fateor.

BOR. Nec facile intelliges.

ALB. De iis autem in quorum captum possem promoueri, vnum duntaxat est quod ardenti animo concupisco.

BOR. Quidnam?

ALB. Vt eam ipsam quæ in dialogi facie est varie-

tatem valeam (quatenus per artem fieri posse audio) eodem quo parta fuit ordine, absque negocij arduitate memoriter fixam retinere. Ipsum enim & per laboris impatientiam labilémque (quæ à natura est) retinendi facultatem, alioqui me facere posse diffido. Audio te ex Iordani inuentis haud istrionicam quandam, qualem iactant alij, ex considerationibus de vmbris idearum expressam callere artem: quam multi valde arduam, proprióque studio inaccessibilem iudicant. Nonnulli ex iis qui doctiores vulgo videntur, ne ipsorum insufficientia delitescat, & cúm suam pudeat eos fateri paupertatem, quod quippiam ex ipsis non percipiant ad artem quam asserunt esse confusam referunt.

Bor. Artem quidem inaccessibilem, sed sine schala concesserim facilé. Difficilem quoque fateor, sed non propterea accusatione dignam: omnia quippe optima velimus nolimus, decreto deorum in arduis esse sita, non est quem lateat. Quod etiam doctorum multi per se ipsos eam non intelligant, non est eorum ignorantiæ, nec artis confusioni tribuendum: nihilo enim minus absque istius artis intellectu doctissimi esse possunt. quod enim ad ipsos attinet, illud est in causa, quod aliis in negotiis magis occupati, modica artis istius sententias legunt attentione. Non enim satis est quod membra intentionúmque partes omnes intelligant: sed & insuper necessarium est eos dignari, vt circa eadem considerent & contemplentur, nec non intentiones alias ad alias referant, relatásque cum aliis ita conferant, vt quasi ex simplicibus intentionibus, terminorum conflent combinationes, & per se ipsos ea quæ in proposito inuentionis iudicij & memoriæ

deduci possunt deducant. Pro iis autem qui tantum subire laborem & ad tantam pertingere perfectionem minimé valentes; aliqualem praxim tantummodo captant: extat eius editio quædam, paucis quibusdam amicis communicata, iis qui in huius generis artium studio sunt versati, facilis ad intelligendum. vbi quid alienis addiderit inuentis, quidque totum adinuenerit ipse, per te facile poteris videre.

Alb. Propitij sunt mihi dij: rem mihi desideratissimam videbor esse per te consecutus, si dictis facta respondebunt.

Bor. En exemplar aperio, sis attentus animo, & audita considera , & si quippam non intellexeris , perquire. Habet libellus pro titulo suum proæmium.

Alb. Lege.

INTENTIO AVTHORIS.

BORISTA.

Intentio nostra est, diuino annuente numine, artificiosam metodicámque prosequi viam: ad corrigendum defectum, roborandam infirmitatem, & subleuandam virtutem memoriae naturalis: quatenus quilibet (dummodo sit rationis compos, & mediocris particeps iudicii) proficere possit in ea, adeo vt nemo talibus existentibus conditionibus, ab ademptione istius artis excludatur. Quod quidem ars non habet a seipsa, neque ex eorum qui præcesserunt industria, á quorum inuentionibus excitati: promoti sumus diuturnam cogitationem ad addendum, tum eis quæ faciunt ab facilitatem negotii atque certitudinem: tum etiam ad breuitatem. Quandoquidem quæ secundum viam aliorum requirebant diuturnam exercitationem, intensam attentionem, & quodammodo ab aliis studiis abdicationem, adeo vt feliciora ingenia tale studium dedignarentur: iam per nos Altissimi gratia adeo facile & illustre & dignum negotium proponitur: vt nemo sanæ mentis sit, qui nedum artem amare debeat: verum quoque toto appulsu atque neruis, in eius studium incumbere. Quandoquidem ars ista adiuuat omnes alias, & ostendit viam, & patefacit aditum ad inuentiones alias plurimas. Siquidem ita faciet, ad memoriam, vt etiam maximé conferat ad iudicium. Sed quid in laude, & momento huius artis detineor? Successus rem ipsam com-

probat. Vnum tantummodo est difficile, vt aliquis hæc ipsa per se ipsum possit intelligere. A docente omnes intelligent. Quod quidem non euenit ex eo, quia nos difficultati studeamus: sed a nouitate rei & celebritate terminorum. Hortatur autem Plato in Euthidemo vt res celeberrimae atque archanae habeantur á philosophis apud se & paucis, atque dignis communicentur. Aqua enim inquit ille vilissimo pretio emitur, cúm tamen omnium rerum sit pretiosissima. Idem nos amicis nostris facimus, atque intensius: maiori etenim occasione ducimur quám Plato in eo proposito duceretur. Idem omnibus iis, in quorum manus ista deuenerint, consulimus: ne abutantur gratia & dono eisdem elargito. Et considerent quod figuratum est in Prometheo qui cúm deorum ignem hominibus exhibuisset, ipsorum incurrit indignationem. Cætera quæ in proœmiis & ampullatis exordiis solent proponi, prætermittimus. Sufficit enim necessaria adducere & ea quæ ad præsentis intentionis complementum faciunt.

DIVISIO LIBRI.

« Habet præsens negotium vt diuidatur in Theo-
« riam & Praxim, vtpote in rationem artis, & prin-
« cipiorum ipsius: Et præcepta illa á quibus maxi-
« mé proximéque operatio proficiscitur.

« Theoria habet tres partes : Aliam quæ est de
« modo inquirendæ artis in gubernanda phantasia &
« cogitatiua, quæ sunt portæ memoriæ; Aliam quæ
« est de ratione subiectorum seu locorum ; Aliam
« quæ est de ratione adiectorum seu imaginum.

« Praxis veró habet duas partes : Alteram quæ
« respicit memoriam rerum; Alteram quae respicit
« memoriam verborum.

DE THEORIA PRÆSENTIS

ARTIS

PRIMA PARS TEORHIÆ.

CAP. I.

« *Modus & ratio gubernandorum sensuum internorum*
« *ad instruendam & construendam memoriam.*

« § I *Ordo potentiarum & organorum.*

« Satis famosum est, atque concessum: quatuor
« esse cellulas, pro quatuor sensibus internis, qua-

« rum: Prima, sensus communis appellatur, situata « in anteriori parte cerebri. Secunda, vsque ad ce« rebri medietatem, phantasiæ domicilium nuncupa« tur. Tertia illam contingens cogitatiuæ domus di« citur. Quarta veró memoratiuæ. Hoc modicum est « vt ad præsentem spectat considerationem: præ« terquam ea de causa, vt habeamus ordinem ope« rationum istarum potentiarum, ad perficiendam « memoriæ operationem,

§ II. *Ordo operationum siue actuum.*

« Ordinantur igitur ita operationes istæ, vt per « aliam, ad aliam progredi non valeamus, usque ad « vltimum memoriæ cubile: nisi successiué inceden« tes ab vna in aliam, eodem ordine quo per sua « organa, & domicilia á matre natura fuerunt in« stitutæ, & ordinatæ secundum situm. Imaginentur » enim vt quatuor cameræ, seu cubilia non quidem « seposita, sed vt altero intra alterum collocato, « ita vt in quartum pateat ingressus per tertium: « in tertium per secundum: in secundum per pri« mum. Dico in proposito vt nihil ingrediatur me« moriam, nisi per atrium cogitatiuæ: nihil cogita« tiuam, nisi per atrium phantasiæ: nihil phantasiam, « nisi per atrium sensus communis.

Comparatio § III.

« Habenda ergo ratio est in arte ista eadem cum « ea quam naturam ipsam habere perspicimus: vt

« videlicet ars ipsa & imitetur, & sequatur, emu-
« letur, & adiuuet naturam. Idque ipsum præstet
« in duobus. Tum videlicet in eo quod faciat res
« memorabiles. Tum etiam in eo quod easdem or-
« dinaté memorabiles reddat, atque promptas. Pri-
« mum efficitur beneficio imaginatiuæ: secundum
« beneficio phantasiæ. Imaginatiua enim perficit i-
« magines cum rationibus suis, phantasia vero præ-
« sertim atque proprie loca atque sedes imaginum.

CAP. II.

De modo inquirendæ artis, in gubernanda phantasia.

« Cogitatiua igitur formatur (vt naturales volunt)
« per species non sensatas, quæ á speciebus sensa-
« tis educuntur. Est ianua, & introitus, & clauis
« vnica cubilis memoriæ. Vnde eorum tantummodo
« meminimus, quorum impulsu cogitatio sollicitata
« fuerat (dico cogitationem vniuersaliter dictam in
« genere ratiocinantum: hæc enim facultas in bru-
« tis æstimatiua dicitur ab ipsis qui solemnius phi-
« losophantur) per amorem, odium, metum, spem,
« tristitiam, lætitiam, abbominationem, delectatio-
« nem, & species aliarum affectionum animalia, qui-
« bus quidem memoria redditur habilis ad receptio-
« nem specierum sensibilium: & species sensibiles
« aptissime actu ab eadem recipiuntur.

« Ecce quomodo species redduntur memorabiles &
« formabiles. Iuxta quam facultatem solam tantum-

« modo hoc nobis feliciter succedit: vt ea quæ vi-
« dimus nos vidisse recordemur cúm occurrerint.
« Alterum necessarium est pro vsu doctrinæ, vt or-
« dinate & ad libitum eorumdem recordemur. Et i-
« deo sicut in scriptura extrinseca atque pictura quæ
« seruiunt oculis extrinsecis duo requiruntur: ratio
« videlicet formæ atque figuræ characterum & ima-
« ginum, & materia atque subiectum in quo for-
« mæ illæ & imagines possint subsistere, manere &
« perdurare. Ita etiam in scriptura intrinseca atque
« pictura, quæ seruiunt oculis intrinsecis, duo sunt
« necessaria. Alterum quod habeat rationem figura-
« rum, imaginum & literarum: alterum quod habeat
« rationem libri, paginæ, lapidis, atque parietis, vnde
« pendet ratio proximé dicendorum.

SECVNDA PARS THEORIÆ

CAP. I.

De his quæ faciunt ad Theoriam subiectorum & formarum.

« Oportet igitur pro basi & fundamento istius, « primo quasi paginam apparare: deinde rationem « adscribendorum characterum, & apponendarum « imaginum adferre & insinuare modo quo alia ad « alia referantur. Facile subinde erit mediocribus « considerationibus & conceptis, prodire ad opera- « tionem.

§ I.

De subiectis: & primo quid sit subiectum.

« Subiectorum ergo ratio, primo consideranda oc- « currit, ante quam promoueamur ad insinuanda ea « quæ illis adueniunt. Subiectum ergo in proposito « non sumitur secundum intentionem logicam, vel « phisicam: sed secundum intentionem conuenien- « tem quæ technica appellatur, vtpote secundum in- « tentionem artificialem: & est subiectum, non for- « malium prædicationum, quod distinguitur contra « prædicatum. Non formæ substantialis, quod ile di- « citur, quod est materia prima. Non formarum ac-

« cidentalium, quod est compositum physicum. Non « formarum artificialium inhærentium naturalibus cor- « poribus. Sed est subiectum formarum phantasiabi- « lium apponibilium, & remobilium, vagantium, & « discurrentium ad libitum operantis phantasiæ, & « cogitatiuæ. Ex quo desumitur ratio seu definitio « subiecti pertinentis ad hanc artem in sua gene- « ralitate: quod distinguitur in suas species, pacto « quod sequitur.

§ II.

De subiecto quod est præsentis intentionis.

« Subiectum vero istud (vtpote quod est aptum « natum ad recipiendas formas memorabiles vt me- « morandæ sunt) pro commodo esse potest vel com- « positum naturale, vel semimathematicum, vel ver- « bale positiuum. Ipsum vero naturale, Vel potest « esse communissimum, extentum iuxta latitudinem « ambitus vniuersi, Vel communius iuxta latitudinem « Geographiæ, Vel commune iuxta latitudinem alicu- « ius continentis, Vel proprium iuxta latitudinem po- « liticam, Vel proprius iuxta latitudinem domesticam, « seu œconomicam, Vel propriissimum iuxta multi- « tudinem atque numerum partium domus, & par- « ticularum eiusdem.

« Tot existentibus subiecti speciebus: ipsæ quæ « sunt infra latitudines proprietatis: maximé sunt ad « vsum præsentem accomodatæ, licet etiam hæ quæ « sunt infra latitudinem communitatis vsu venire

« valeant. Porro praxis illarum, vna cum praxi su-
« biectorum semimathematicorum currere potest. De
« quibus fortasse in regulis practicis aliquid com-
« monstrabimus. Nunc autem consequens est in me-
« dium afferre conditiones subiectorum per ordi-
« nem.

CAP. II.

De conditionibus subiectorum.

§ I.

« Subiecta ergo sensibilia atque materialia, iudi-
« cio omnium qui de hac arte hactenus bene dixe-
« runt: primo quó ad substantiam ita sunt eligenda,
« vt sint ad oculum sensibilia: quorum Alia sunt
« naturalia vt lapides, arbores & similia. Alia sunt
« artificiosa, vt aulæ, columnæ, anguli, statuæ &
« similia. Alia sunt vtroque modo sese habentia, vt
« quæ partim natura, partim arte constant.

§ II.

« Quó ad quantitatem eorum continuam, subiecta
« propria debent esse non admodum magna, ne qua-
« si visum obtundant & disperdant, nec admodum
« parua, ne quasi visum fugiant: sed mediocria ad
« hominis magnitudinem talem, quæ sit iuxta al-
« titudinem eleuatorum & latitudinem extentorum
« brachiorum.

§ III.

« Quó ad quantitatem discretam sint tot quot sunt « præcipuæ species memorandæ. Modica quidem at- « que pauca sufficiunt ad rerum & sententiarum me- « moriam: plurima veró ad memoriam verborum re- « quiruntur.

« Quod etiam ad copiam subiectorum attinet, quo- « niam aliquando non sufficere solent ipsa quæ ex « vna domo vel ædificio desumi & eligi possunt: « confugiendum est ad actum proportionalem ei, « quem scriptores ad oculum extrinsecum facere con- « sueuerunt. Vbi quippe eis pagina vna non sufficit « ad integri negotij expressionem, paginam paginæ « adnectunt atque consuunt: vt quod tabella non ex- « primit, liber exprimat. Ita fermé nobis consulitur « in præsenti operatione, vt propria institutione loca « communia locis communibus connectamus. Et o- « pere nostræ cogitationis, & phantasiæ, ea quæ re « ipsa sunt diuisa, disiuncta, & ab inuicem elonga- « ta: vniantur, coniungantur, & aproximentur. Fiat « igitur hoc pacto. Fini & termino vnius, adhe- « reat principium alterius vel adherere intelliga- « tur. Nihil enim obstat quo minus possis fini atque « termino tuæ domus, quæ est in vna parte ciui- « tatis, apponere principium vnius ædificij, quod « est in alia parte ciuitatis. Pariter nihil obstat quo « minus valeas extremo locorum Romanorum ad- « nectere primum locorum Parisiensium, dummodo

« sit fixum apud te, atque sancitum, vt semper tali « fini tale principium intelligas succedere.

§ IV.

« Quo ad Qualitatem. Subiecta vt volunt omnes « non debere esse nimium illustria, neque admodum « obscura: sed talia qualia non intelligantur excel- « lentia sua visum turbare, vel defectu suo visum « minus mouere.

§ V.

« Quo ad Differentiam. Volunt vt caueatur tan- « quam ab igne á pluralitate similium locorum, sed « in omni electione commendetur varietas. Vnde di- « mitte (inquiunt) plura inter columnia similia, si- « miles fenestras, dimitte vacua spatia. In quibus « tamen si placeat aliquid collocare: instituere potes « aliquod receptaculum cuiusmodi est altare, mensa, « solium, ceteráque huiusmodi.

§ VI.

« Quo ad Relationem. Subiecta debent intelligi « formata, mota, & alterata aduentu imaginum: vt « easdem valeat commodé repræsentare. Intelligantur « inquam affecta, sicuti de facto afficitur pagina per « aduenientem literam: vel si fieri potest, & melius, « sicut afficitur cera per nouæ imaginis impressio-

« nem. Et hoc notasse valet at id quod sciri debet « quo ad actionem, & passionem.

§ VII.

« Quo ad Ordinationem. Ex omnium sententia lo- « ca sine delectu non sunt assumenda: sed ordinatè: « sicut per ordinem sibi succedunt partes, & mem- « bra ædificiorum.

§ VIII.

« Quo ad Situm. Non debent esse nimium pro- « pinqua, neque nimium distantia: sed ad conueniens « interuallum seposita. Alioqui ita confundent obtui- « tum & intuitum imaginationis: sicut in scriptura « oculari, confusionem causant literæ super literas « inscriptæ, & literæ literis inherentes.

« Similiter etiam turbant (licet non ita) literæ á « literis plusquam mediocriter semotæ.

Bor. Percepisti ne Alb. subiectorum rationem.

Alb. Percepi, & in ipsis quod ad modos & conditiones eligendorum locorum spectat, nihil amplius adferre videtur præter id quod hactenus ab aliis extat allatum.

Bor. Rem superficie tenus considerasti. Sed concessum sit eum de iis quæ pertinent ad loca sensibilia nihil permutare. Quid dices si hæc, quæ mortua prius habebantur, per ea quæ proximé subsequenti capite habebuntur viuificare doceat, subiectorum maximi faciendam rationem adferens? Certe si animum applicueris: celeberrimam habebis artis speciem, ad ar-

tium intentiones & ordinandas, & perpetuo retinendas.

ALB. Bene, ad propositam applicationem faciendam progredere.

BOR. Ita fiet. Habes igitur ex arte communi quemadmodum adparanda sint subiecta. Sensibilia. Naturalia. Artificialia. Mixta. Mediocris spacij. Mediocris perspicuitatis. Iuxta memorabilium specierum numerum. Diuersa. Differentia. Congruas habitudines ad apponendas formas seruantia. Ordinata.

Conuenientibus seposita interuallis.

ALB. Habeo.

BOR. Modo, quo pacto viuificata debeant haberi percipito.

ALB. Lege.

BORISTA.

CAP. III.

Cautela ad firmitatem subiectorum pro formarum retentione, quæ paucis fuit nota & leuiter tacta. Et est quod potest pertinere ad rationem subiectorum, quo ad vltimum prædicamentum quod est HABERE.

§ I.

« Subiectorum alia substantiua, alia adiectiua sunt.
« Subiecta substantiua appello ea de quibus hacte-
« nus meminimus. Subiecta vero adiectiua sunt quæ-

« dam quæ locis prædictis adiici possunt differentia
« á suis substantiuis in hoc quod illa perpetuo ma-
« nent eadem & immobilia: hæc veró licet perpetuo
« inibi manere debeant atque maneant: tamen pro
« occasione aduentantium formarum, atque imaginum
« mouentur, alterantur, & in varios, atque diuersos
« vsus assumuntur, dum per ea aliquid sit, vel ipsi
« actioni eadem inseruntur quoquo pacto. Ista ni-
« mirum addere valent virtuti locorum quantum a-
« nima corpori, adeo vt sine istis loca mortua ha-
« beantur: cum istis veró viuentia. Adde igitur an-
« gulo pileum, sedi pugionem, fenestræ cyatum, cæ-
« terásque aliis huiusmodi vtensilia, atque mobilia:
« quandoquidem nihil adeo modicum est, quod ad
« innumeros vsus innumeras non valeat habere re-
« lationes. Nunc in angulo dum vapulat Albertus
« pileus, vsu venit ad munus scuti. Nunc dum pin-
« git Ideus: pileus deseruit pro continentia colorum.
« Nunc dum fodit rusticus: ligone Pileus inciditur,
« & ita successiue aliis alia agentibus, atque fa-
« cientibus: aliter atque aliter pileus operationibus
« inseritur. Hinc aliquando si non occurrat loco ap-
« positum, quasi á reuelatore fideli, poteris ab ipso
« adiectiuo subiecto de re apposita certior effici: cúm
« quæras quid factum est de te pileo? quid factum
« est de te pugione?

Alb. Dij me ament Borista, eo magis huius præceptionis industriam laudabilem argumentor, mihíque persuadeo, quo maturius super ista cautela & viuificatione locorum á celeberrimis antiquorum tacta quidem, sed minime comprehensa considero.

BOR. Iam incomparabilem habes inuentionem, cuius ne vestigium quidem prioribus coniectare licet artibus.

ALB. Qua de re?

BOR. De ordinatione semimathematicorum subiectorum.

ALB. Audiam nouitatem subiectorum semimathematicorum.

CAP. IV.

§ I.

De ratione subiectorum semimathematicorum.

« Subiecta puré mathematica vsu venire non pos-
« sunt, quandoquidem abstracta sunt & sua abstrac-
« tione phantasiam pulsare vel mouere non possunt,
« quandoquidem abstractio pertinet ad superiorem fa-
« cultatem, quam sit ipsa phantasia.

§ II.

« Illud ergo quod valent præstare Mathematica-
« lia secundum se, est ordo solus: & hic in duobus
« inquiri potest (in quorum tamen vno feliciter suc-
« cedit) in figuris videlicet & numeris. In figuris qui-
« dem procedendo á triangulo ad quadrangulum: á
« quadrangulo, ad pentagonum: hinc ad exagonum:
« hinc ad eptagonum, & ita deinceps in innumerum
« per planas figuras. Similiter in solidis figuris, á cor-

« pore trilatero ad quatrilaterum, ab ipso quod est « trium superficierum, ad ipsum quod est quatuor su- « perficierum: & ita deinceps ad alia. Qui progressus « difficile formari potest in vsum præsentis artis.

§ III.

« In numeris autem, procedendo á monade ad dua- « litatem: á dualitate ad trinitatem: & ita deinceps in « innumerum. Veruntamen ipsi numeri non valent « repræsentare: sed ordinem tantummodo insinuare. « Applicentur igitur rebus aliquibus naturalibus, & « per easdem colorentur, atque formèntur. Destinen- « tur ergo pro primo denario linea, pro secundo li- « gnea, pro tertio ferrea, pro quarto ænea, pro quin- « to argentea, pro sexto aurea, pro septimo sericea, « pro octauo pannea, pro nono coriacea, pro decimo « pellicea. Vel pro primo organa agriculturæ, pro se- « cundo organa artis ferrariæ, pro tertio militiæ, pro « quarto vestiariæ, pro quinto lanionicæ, pro sexto « hortensis, pro septimo coquinariæ, pro octauo me- « dicinæ, pro nono tonstrinæ, pro decimo funerariæ, « pro vndecimo sacrificiæ, & ita deinceps.

§ IIII.

« Quibus decadibus ordinatis & determinatis, siue « istiusmodi, siue aliis modis: siue secundum hunc « modum, siue secundum alium: modicis aliquibus « differentiis poteris tibi decernere, & diffinire dif- « ferentias, ad insinuandos digitos numeros in sin-

« gulis decadibus. Siquidem in ligneis, aureis, cete-
« risque huiusmodi, sunt differentia instrumenta,
« atque res. Similiter in coquinariis, hortensibus &
« similibus.

§ V.

« Applicari igitur possunt intentiones rerum me-
« morabilium rebus istis suo ordine: vnde non solum
« rerum memoriam & ordinem: verum quoque & nu-
« merum situm, & regionem, cum intentione partium
« & capitum possibile est retinere: sed rem fusius
« quám par esse videtur artis dignitati explicuimus.

ALB. Dij boni quám prægnans inuentum ipsum sine tua declaratione percipio: clarius. n. non poterat nec debebat aperiri.

BOR. Ipsum sané maturiori consideratum iudicio maturius & excellentius apparebit. Ipsum ingeniis etiam non admodum excitatis ad maximos vsus notabilem offert occasiouem.

ALB. Illud etiam in re proposita perpendas velim: quod non solum locorum, sed & imaginum fœcundissimam rationem explicuit, vbi & loca per imagines, & imagines per loca docuit viuificare. Hic etiam rationem engraphicé habendarum artium inspicio.

ALB. De iis hactenus. Lege.

BORISTA.

§ VI.

De locis verbalibus positiuis.

« De locis autem verbalibus positiuis, non est præ-
« sentis negotii tractare: & non nisi violenter tracta-
« ri possent in partem istius artis, de ipsis enim con-
« sideramus in libro clauis magnae, qui est de inuen-
« tione, & iudicio scientiarum, & de arcana retentione
« & fixione. Sufficiat ergo in proposito, proximé dicta
« semimathematicalia, quæ capitum, sententiarum,
« legum, vel paragraphorum, vel cuiuscumque rei
« esse possunt subiecta: verum etiam valent ad hoc
« ipsum vt sint imagines numerorum in allegationi-
« bus, cæterísque huius modi.

§ VII.

« Illud etiam est considerandum quod pro diuersis
« materiis, & occasionibus, ex diuersis generibus, se-
« mimathematicalia loca possunt atque debent diuer-
« simodé formari: quorum duos enumerabimus: alií-
« que multi similiter enumerari possunt.

ALB. Habes ne verbalium locorum rationem Borista?

BOR. Nullam prorsus, eámque si haberem non esset hic locus nec tempus eiusdem adducendæ.

ALB. Quomodo talem iudicas si non cognoscis?

Bor. Id ergo non te prætereat, ad applicandum numerum Circaeum, vt iuxta capitalium terminorum multitudinem, locis sensibilibus, á quorum tibi praxi est exordiendum, apparatis: mox in rerum memorandarum, quæ tum locorum ordinem, tum & á locorum ordine consequuntur, appositionem intendas animum.

Alb. Recte. Iam quasi paginam in qua scribendum, vel tabulam in qua pingendum est habeo dispositam. Mox igitur inscribendi, figurandíque rationem explicato

BORISTA.

TERTIA PARS THEORIÆ DE

RATIONE ADIECTORVM SEV

de formis.

CAP. I.

Quid sit forma, & quotuplex.

« Forma quoque in proposito non sumitur secun-
« dum intentionem Methaphisicam Platonicam vt poté
« pro idea. Nec secundum intentionem Methaphisicam
« Peripateticam, vt poté pro essentia. Nec secundum
« rationem physicam, vt poté pro forma substantiali
« vel accidentali informante materiam vel subiectum.
« Nec secundum intentionem technicam vtpote arti-
« ficialem additam rebus physicis actu existentibus
« quas supponit. Sed secundum rationem logicam non
« quidem rationalem, sed phantasticam (quatenus no-
« men logices amplius accipitur) respondentem inten-
« tioni subiecti, quod supra pariter diuidendo, & di-
« stinguendo ab aliis, diffiniuimus.

§ II.

« Est igitur forma in proposito aliquod cogitatum
« vel cogitabile opere phantasiæ & cogitatiuæ, adiec-
« tum locis seu subiectis iuxta triplicem superius il-
« latam differentiam, triplicibus: ad aliquod repræsen-
« tandum, & retinendum pro informatione, & perfec-
« tione memoratiuæ facultatis.

§ III.

« Formarum ergo aliæ sunt naturales, aliæ sunt
« positiuæ. Naturalium intrinsecæ vsu non veniunt
« in proposito: Siquidem (vt patet) non sunt imagina-
« biles, extrinsecæ veró, quæ in sensibus obiiciuntur,
« nec omnes vsu venire possunt, sed illæ tantummodo,
« quæ per visum, & auditum sensus internos ingre-
« diuntur, selectissimæ veró sunt formæ visibiles. Gu-
« stus enim & ex intimis sentit obiecta, tactus veró
« extrinsecus adherentia, olfactus modicum distantia,
« auditus distantiora, visus vero distantissima ab ipsis
« mundi imaginibus obiecta concipit. Ideo omnium
« spiritualissimus, & diuinissimus, sicut naturaliter
« antecellit: qui determinant in præsenti proposito
« formas extrinsecas visibiles, quæ quidem licet non
« sint formæ de quibus loquimur: tamen sunt fontes
« á quibus illæ emanant, & matres quæ illas partu-
« riunt. Vnde si ipsæ exteriores vestigia appellantur
« idæarum: interiores vmbræ appellantur earundem
« á nobis in libro qui de vmbris inscribitur.

§ IIII.

« Formæ veró aliæ quæ sunt intrinsecæ, extrinse-
« carum riuuli atque filiæ, quæ per vehicula & cana-
« les sensuum externorum, sese in phantasticam fa-
« cultatem ingesserunt, sunt præsentis intentionis. Et
« istæ dupliciter sumi possunt vno pacto, secundum
« suam naturam, nuditatem, & puritatem, & eiusmodi
« sunt cúm sensum ipsum internum aggrediuntur:
« Altero pacto alteratæ, commutatæ, deordinatæ, &
« commistæ, & ita dupliciter, vel ab intentione, vel
« ab aliorum naturalium accidentium perturbatione.
« Primo modo possint esse artificiales, secundo vero
« minimé.

§ V.

« Itaque duo sunt genera imaginum. Aliæ enim
« sunt similes rebus extrinsecis secundum totum vel
« per integrum, vt imago Socratis vel Platonis, imago
« equi, vel tauri. Aliæ vero sunt similes rebus extrin
« secis secundum partes, sed non secundum totum:
« vt imago montis aurei, centauri, harpiæ, & simi-
« lium. Vtrumque generum commodum est ad praxim
« præsentis artificij, siue etiam necessarium.

CAP. II.

De Conditionibus formarum seu imaginum.

§ I.

« Formæ vero quod ad essentiam & substantiam
« attinet, debent esse ex eorum genere quæ maximé
« valeant phantasiam pulsare, & cogitatiuam excitare.
« Genus veró illarum in proxime dictis est manife-
« statum.

§ II.

« Quod ad quantitatem discretam attinet, iuxta mul-
« tudinem locorum sunt multiplicandæ: & ad commo-
« dum rerum insinuandarum distinguendæ, plures in-
« quam simul, vtpoté in eodem loco non concurrant.
« Hinc enim accidit vt aliæ alias confundant, vt eue-
« nit in literis complicatis. Illud tamen feliciter con-
« tingere potest, vt in eodem loco plures ita collo-
« centur vt aliæ alias consequentes attingant, quæ in
« antecedentibus ita continebantur, sicut virtualiter
« in præmissis sunt illationes.

§ III.

« Quod veró ed quantitatem continuam attinet, ca-
« ueto á paruis imaginibus, & ab immodicis. Illæ enim
« sensum non excitant: istæ vero extensione sua vi-

« sum, internumque obtutum dispergunt. Extrinsecum
« quippe oculum non mouet, vel lente mouet musca,
« ægre veró formam suam insinuat gigas in magno
« pariete depictus. Ad mediocritatem ergo contrahan-
« tur ampliora, & extendantur exigua. Ideo dicitur
« in libro clauis magnæ. Aut modica, aut modificata.
« Aut magnifica, aut magnificata: vnde licet elicere
« quod ipsum secundum se modicum, & impotens ad
« mouendum: beneficio concomitantis reddi potest
« magnum atque potens. Scutum & cadauer præsen-
« tabit muscam, sagittarius, sagitt. Sutor acum, scrip-
« tor calamum.

§ IIII.

Quod ad qualitatem pertinet, illud in memoriam reuocandum est: quod tales eligendæ sunt formæ, quales admirationem, timorem, amorem, spem, abhominationem, similésque alios eius generis affectus valeant accire. Quod si imago hoc ipsum de sui natura non præstet: faciat tua institutione, destinatione, & secundum genus applicatione. Ita enim mortuam imaginem (nisi admodum hebetis extes ingenij) viuificare poteris. Hinc si ex hominum genere magis tibi notos, atque celebres, monstruosos, pulchros, dilectos, exosos omnes adsumas: melius usu venire poterunt. Cúmque duo sint genera formarum, animata videlicet & inanimata: prima præstant secundis. Animatorum quoque cúm duæ sint species, rationalia videlicet & irrationalia: prima secundum omnem modum præcedunt vniuersa. Ipsis enim omnis actio, omnis passio, motus, omnis tandem vsus potest conuenire.

Quodcunque enim valent ferre cæteræ omnes: hæ solæ possunt, atque amplius. Vnde & mundos eas appellare licet.

§ V.

« Quod ad relationem vicissim dicitur de istis, « quod supra de subiectis dictum est.

« Non inquam decipiaris aliquando non collocans « & putans te collocare, non affigens, & putans te « affigere. Quandoquidem aliquando accidit (imo vt « plurimum) vt per minorem applicationem, siue in- « tentionem naturali memoriæ committas, quod putes « te loco committere, id est cum quasi in aërem fun- « dens excogitatam formam, subiecto illam minimé « facis inhærere. Contra quam delusionem ita repa- « randum est. Assuesce vt habeas semper veram loci « formam ob oculos, & germanam formam collocan- « dæ rei, vt in sene capillos albos, curuum bustum, « tremulas manus, cæteráque huius modi intuearis: « Et cum istis omnibus eius applicationem ad locum, « & habitudinem loci ad ipsum, quasi dicas. En vbi « homo ille, En quid locus ille capit, similiter de aliis « formis est iudicandum. Proinde, mitto quod supra « dictum est de locis adiectiuis.

§ VI.

« Quod ad actionem & passionem attinet. Intelli- « gatur forma in locum aliquid agere, vel aliquid pati « á loco, aptum vel ineptum: iucundum vel triste:

« commodum, vel incommodum. Hinc enim pendet « robur & fixio adiecti cum subiecto, & eius quod « proportionale est materiæ cum eo quod formæ pro- « portionatur.

§ VII.

« Mox á similitudine & vniformitate non minus « cauendum est quam á quolibet alio, quod minus « fauet, atque contrariatur rationi perfectionis imagi- « num. Turbat enim & confundit crebra eiusdem i- « maginis repetitio, & appositio. Quod si necessitas « vrgeat (distinctis tamen interuallis) vt eandem for- « mam iterató accipias: recipias eam alteratam, al- « teram, & aliis habitudinibus indutam. Sicut enim « natura ipsa abolet similitudinem, ipsam (de simili- « tudine numerali loquor) ita & ars. Nunquam enim « natura duos homines similes constituit, imo nec « vnum hominem omnino similem perseuerare facit, « sed quem mane sumpsit vt unum, vespere sumit « sensualiter vt alterum.

Alb. De iis quæ ab antiquis necessaria notatúque digna præcepta sunt, quod faciat ad facilitatem, ordinem, atque sufficientiam: nihil est quod prætermisisse videatur.

Bor. Nimirum præter errores, ineptias, & infantias quæ ab oscuris & irrationalibus quibusdam allata sunt, omnia continet ista consideratio, omnia sufficienter distinxit, numerauit, digessit in species, & ordinauit. Duo sunt quæ sibi peculiariter potest vindicare. Alterum quod adeo (si intelligatur) spiri-

tum ipsum regulare docet: vt tantum absit ne formas in ipsis doceat depingere subiectis, vt mirum in modum quomodo eædem in ipsis insculpi valeant aperiat. Alterum quod paucis aliorum inuenta perficiat, & ad vlteriora promoueat.

ALB. Prosequere.

CAP. III.

Modi aliquot imaginum ad rerum figurationem atque vocum.

§ I.

« Extant nonnullæ rationes, atque modi: quibus « possunt tum nomina, tum res ipsæ vnica imagine « figurari. Primum quidem distinguendum est de mo« dis in genere hoc pacto. Eorum á quibus recipi po« test signum rei repræsentandæ, alia retinent simi« litudinem secundum rem, alia vero secundum di« ctionem.

§ II.

j. « Collocamus ergo aliquando rem ipsam si ipsa « est figurabilis á phantasia, vt scamnum pro scamno, « equum pro equo.

ij. « Aliquando veró similem in voce, pro simili. vt« pote collocamus rem figurabilem, quæ denomina« tione sua causat memoriam rei infigurabilis, cuius

« nomen affine est nomini illius. Sic apponimus « equum ad equitatem memorandam, vitim ad vitam.

iij. « Aliquando veró per Etimologiam, solemus « venari illud á quo ipsa desumitur, utpoté infigura-« bile á figurabili, á Romano Romam, á montano « montem.

iiij. « Aliquando á similitudine capitis, vtpotè prin-« cipij dictionis, consueuimus reuocare memoriam « eius quod in fine est dissimile. Ita per asinum loco « appositum solebam asilum recordari, vel Aser.

v. « Aliquando á translatione nominis, quemadmo-« dum á Philippo loco apposito, venabar memoriam « amatoris equorum. vel é conuerso aliquando.

vj. « Ab antecedente, venari solebam consequens, « quemadmodum naturaliter ab aurora solis exortus « concipitur, & á pastu digestionem figuratam conci-« pimus.

vij. « Aliquando ex concomitante, sicut á socio so-« cium qui semper ipsi vnitur consueuimus recordari. « Vbi igitur aliquid est infigurabile, sicut mors, potest « figurari per cædem vel cadauer.

viij. « Aliquando á consequente, quod dicitur vicis-« sim cum antecedente: sicut á fumo nominas ignem « præcedentem, et per ignem recolimus fumum sub-« sequentem.

ix « Aliquando ab accidente subiectum, quem ad-« modum á re alba apposita, niuem lucramur, á sal-« tatione saltatorem.

x. « Aliquando á subiecto accidens: sicut ex alueo « mellis collocato, recolimus dulcedinem, ex leone fe-« rocitatem, ex vrso iram.

xj. « Aliquando ex Hyeroglifico suum designatum: « sicut ex lance & statera iustitiam. Ex speculo pru- « dentiam.

xij. « Aliquando ex insigni insignitum: vt ex ense « Martem, ex claui Ianum.

xiij. « Aliquando ex simbolo simbolatum, vt ex ho- « mine nasuto Tongilianum, de quo illud, Nil præter « nasum Tongilianus habet. Ex homine armato Han- « nibalem: ex togato, lacerata tunica, nudis pedibus, « detecto capite, Diogenem.

xiiij. « Aliquando ex contemporaneo tempus, sicut « ex floribus Aprilem: ex torculari Autumnum, & sic « de aliis.

xv. « Aliquando ex circumstantia locum atque sub- « iectum, vt ex certo habitu Theutonicum seu Ger- « maniam, Africanum, seu Africam.

xvj. « Ex proportionato proportionale, quemadmo- « dum ex figulo ad lutum, subit nobis consideratio « vniuersalis plasmatoris ad vniuersum plasmabile. in « magno synapi hæc propositio. Modico in semine at- « que principio maximi effectus præexistunt: vnde « paruus error in principio, magnus in fine.

xvij. « Ex conuertente conuersum, quemadmodum « ex voce Maro clarescit Roma, ex voce Remo more.

xviij. « Ex partibus totum, ex componentibus com- « positum, vnde Dauus cúm viti obiicit infigurabile « Dauid.

xix. « Ex capitis diminutione vel additione, corpus « alterius significati, sicut ex Palatio latio clarescit.

xx. « Ex capitis similitudine, capite adsimulatum, « sicut ex pariente Paralipomenon liber clarescit.

xxj. « Ex assolente proferre, vocabulum ipsum, vel
« sententiam: hinc quidam qui dicere solebat omnia
« amicorum sunt communia loco appositus reducit te
« in memoriam sententiæ illius. Et nota hic quod
« etiam ex tua institutione potes eiusmodi sententias,
« & terminos quibusdam accommodare, veluti vsu
« venire potest modus proximé sequens atque magis.

xxij. « Ex subiecto recipiente verificationem sen-
« tentiæ, vel significationem termini, sententiam ipsam
« atque terminum, sicut mihi quidam garrulus & ma-
« ledicus, nec bené fortunatus: sententiam illam psal-
« mistæ. vir linguosos non dirigetur in terra.

xxiij. « Ex metaphora seu transpositione, transpo-
« sitionis subiectum: ex argento lunam: ex plumbo
« Saturnum. Ex stamno Iouem. Item & ex vulpe a-
« stutiam. Ex cane adulàtionem. Ex simia imitatio-
« nem & emulationem.

xxiiij. « Ex propria passione, ipsum cui appropria-
« tur, sicut ex boue mugitum, ex porco grunditum.
« Ex quibus etiam aliquando translatio fieri potest,
« sicut postquam ex asino habemus ruditum, ex ru-
« ditu habere possimus fatuum sermonem, eo enim
« & asinilogos solebam mihi describere.

xxv. « Ex instrumento artificem, & instrumenta-
« tum in genere, sicut ex sphera & astrolabio, astro-
« logum possum meminisse.

xxvj. « Ex habituato, habitum infigurabilem, sicut
« ex muliere grammatica, quæ est substantia cum ac-
« cidente, seu subiectum cum qualitate: ipsam gram-
« maticam quæ qualitas quædam est conceptare pos-
« sem. sicut ex musico, musicam. Similiter ex ha-

« bente id quod habetur, vt ex predium habente, pre-
« dium: ex principe principatum: licet sit aliud præ-
« dicamentum. Similiter in qualitatis genere, ex mo-
« dificato, modum: sicut ex recipiente rationem ali-
« cuius aduerbii, ipsum aduerbium: sicut ex bené sal-
« tante, aduerbium bené occurrere potest.

xxvij. « Ex specie genus, sicut ex boue loco appo-
« sito figurabili, meminisse possum animal genus in-
« figurabile.

xxviij. « Ex relatiuo correlatiuum, sicut ex domino
« seruum.

xxix. « Ex contrario, contrarium per antiphrasim:
« sicut per aliquem inculté loquentem, Demosthenem,
« per fatuum, Aristotelem.

xxx. « Ex agente, actum, vel actionem: sicut ex
« furante, furtum. Si qui autem alij modi præter istos
« imaginentur, omnes habeantur vt in istis inclusi &
« ad istos reducibiles. Perfecta si quidem enumera-
« tione atque respectu ad talem redacti sunt numerum,
« vt patet callentibus rationem magnæ clauis.

Alb. Certé alios difficile possem imaginari modos qui (quatenus spectat ad ea quæ sensibiliter mouere continget) in enumeratis triginta non contineantur.

Bor. Cur dicis sensibiliter?

Alb. Quandoquidem ad reminiscentiam atque memoriam quam per ordinem semimathematicalium subiectorum atque verbalium positiuorum: adipiscimur, possumus aucupari: ex prædictis triginta discursibus, quibus alia per alia possunt præsentari (quatenus ex vnius appositi memoria in alterius vel infigurabilis,

vel egré figurabilis solemus promoueri) nullus est qui conducere videatur.

Bor. Pace tua, nullum est memoriæ genus in quo aliquod vel plura harum figurationum genera non vsu veniant: sicut enim citra species phantasiabiles nec intelligere nec memorari possumus: ita nec citra vsum alicuius ex enumeratis generibus.

Alb. Considerabo super hoc, nunc ad alia.

BORISTA

PRIMA PARS PRAXIS.

CAP. I. § I.

ALB. Certé nihil amplius requirebatur ad praxim. Quis non videt quemadmodum ipsius praxis ratio sub titulo theoriæ latissime continetur & explicatur.

BOR. Credo hanc tituli distinctionem potius ob ordinem doctrinæ, quám ob aliam causam adduxisse authorem: Sed audi hæc deinceps habebuntur. Ex iis enim non modicum pro vtriusque memoriæ specie releuaberis.

ALB. Audiam.

BORISTA

PRO REBVS PRÆSENTANDIS.

§ II.

« Quamuis his quæ supra allata snnt sub titulo « theoriæ sufficientissime etiam á mediocribus inge- « niis ratio praxis tota possit educi: tamen per hæc « quæ mox subinferimus superiora confirmamus, & « superioribus addimus.

§ III.

Pro rebus præsentandis.

Paratis ergo dispositis ordinatis, determinatis, atque « confirmatis subiectis: facile est formas ipsas appone- « re. Sensibilium quidem sensibiles, non sensibilium « veró etiam sensibiles. Porro sensibiles formæ rela- « tæ ad sensibilia obiecta, rationem veram imaginum « & exemplarum admittunt. Relatæ vero ad non sen- « sibilia obiecta, habent rationem signorum, notarum, « & indiciorum. Quomodo autem quælibet significari « possint, designari, & effigiari, demonstrauimus ex « parte magna, magis quám vnquam demonstratum « fuerit ante nos. Vnum tantummodo abest vt succur- « ramus iis terminis qui per prædictas imaginum ra- « tiones non possunt figurari: cum de triginta modis « illis nullum aliquando possumus ad propositum « adaptare: siue difficultate proueniente á nobis, siue « á re ipsa cuius memoria est habenda, & commodam « præsentationem quærimus. Modo igitur proximé sub « inferendo prouidendum. Qui quidem nullum memo- « rabile excludit, siue sit terminus intellectus siue « non intellectus, siue significatiuus. quomodocumque « sit, dummodo sit articulatus.

SECVNDA PARS PRAXIS.

CAP. I.

De memoriæ verborum praxi.

§ I.

Vbi igitur res ipsas collocare nequimus, quia sunt infigurabiles: aptemus nobis nominum, vocumque quarumlibet inscriptionem tali pacto habendam. Primo sint homines, iuxta elementorum numerum distincti, quorum alij vnum, aliud alij tibi designent elementum, siue ex institutione vt poté ex appropriato: siue ex veritate, vt poté ex proprio nomine. Sint in quam tibi pro elemento A designando plures Aristarchi. pro elemento B plures Bacchi. pro C Cæsares, qui quidem loco appositi, hæc tibi repræsentabunt elementa.

§ II.

Sint proinde aliæ res inanimatæ quæ possunt vsu venire prædictis hominibus: ita vt Armarium, auriculare, arcus, & similia significent tibi elementum A. Baculus B. Corbis C. similiter & alia instrumenta, & armamenta, alia tibi designent elementa. Et ita tum homines plures, tum etiam plures tibi reliquas res & operationes ab hominibus contracta-

biles ordinabis, quibus quidem valebis eidem loco integram committere dictionem.

§ III.

« Quod si dictio erit prolixior, poteris illam in duo-
« bus vel tribus locis committere & extendere, quod
« consulimus quando extemporanea replicanda sunt
« lecta vel recitata.

§ IIII.

« Vbi veró tu ipse tuam tibi materiam disposue-
« ris, poteris vni loco dictionem quantumlibet pro-
« lixam committere, apponendo duos vel plures ho-
« mines ordinatos: qui cum suis instrumentis & si-
» gnis & nominibus propriis literas repræsentando,
« quamcumque tibi proferant dictionem.

Borista. Quod ad memoriam verborum pertinet : á labore in quem nos artes antiquiores impellunt, mirum in modum nos releuare videtur. Quibus licet modicum considerantibus, modicum videatur addere: melius tamen negocium perpendentibus longé aliter apparebit. Elementa enim quæ per antiquorum præceptiones, singularia tantum docebamur præsentare: nunc ad syllabarum & quarumcumque dictionum ex ipsis complexarum complementum, vnico cuicumque loco integrum ipsum docemur apponere terminum. Armamenta enim & actiones, non ociosa, leuia, atque vaga nunc instituuntur: neque solum ad memoriam excitandam homines hominibus adstare, résque alias aliis

applicari debere perdocemur: sed omnia pluribus onusta muneribus accipere, vt quám facilé commodéque quod antiquis impossibile videbatur nacti simus, non sit difficile videre. Audi quid senserit Tullius in suis ad Herennium.

Scio plerosque græcos qui de memoria scripserunt fecisse vt multorum verborum imagines conscriberent, vt qui eas discere vellent, paratas haberent, ne quid inquirendo consumerent operę. Quorum rationem aliquot de causis improbamus, quarum vna est quod in verborum innumerabilium multitudine, mille verborum imagines ridiculum sit comparare: quantulum enim poterunt hæ valere cum ex infinita verborum copia modo vnum modo aliud nos verbum meminisse oportebit?

Ex quibus sané verbis manifestum est illud Tullium existimasse impossibile factu: quód non modo in se facillimum comperitur, verum etiam vniuerso negotio facilitatem causat. Cur autem hunc in modum Græcorum illorum derideat industriam, illud est in causa quod ipsum alio pacto fieri non posse existimabat, quam singulis dictionibus singulas destinando imagines. Quod tentare ridiculum est. Nos veró tantum abest vt imaginum numerum multiplicemus: vt in singulis perficiendas atque complendas locis ad expressionem infinitorum terminorum siue significantium siue non: completas, paucas, determinatas, & celebres ordinemus imagines. Habes ergo facultatem qua tum res ipsas seu rerum intentiones in Circæo cantu positas, tum & ipsa quibus explicantur verba, locis valeas affigere. Exerceri tui similes in istis se-

cundis non probarem. Ad vanam quippe atque puerilem facere videntur iactantiam, quatenus enim occurrentium figurandorum terminorum necessitas exquirit: solertia vsus triginta configurationum succurrere poteris. In pueris autem & studiosis adolescentibus præter breuem istam viam & alias quas Iordanus instituit nullam laudauerim, grauis. n. cura diuturnaque intentio, & abductio á seriis studiis ad quæ fortasse per ipsas redduntur inhabiles (in ipsis. n. actibus expediti, atque aptissimi alioqui stupidi mihi comperti sunt) perceptione fructus qui colligi possit in tardo lentóque fine minimé compensantur. Per hæc autem nostra studium non impeditur, memoria naturalis non hebetescit, non languet, sed proficere potest ingenium. Interim spero futuros qui inuentionis istius semina multiplicent. Porró licet hæc consideratio tanta sit si cum antiquioribus conferatur: sine præiudicio gratiarum quas primis inuentoribus & viam præmonstrantibus habere debemus: nihil tamen est aliarum respectu, quarum integer inuentor apparet iste. quarum mox vnam in breuibus contentam explicabo tibi. Sed hæc de arte, tredecim quibusdam amicis dictata sufficiant.

Alb. Proferas rogo te aliam artem.

Bor. Libentissimé.

IORDANI BRVNI NOLANI

ARS ALIA BREVIS CERTIOR

& expeditior ad verborum

memoriam.

Suppositis iis quæ in complemento communis artis de ratione locorum & imaginum sunt allata: nunc in aliquorum gratiam aliam producimus artem, quæ ad nostram integra pertinet inuentionem. Ipsam perfecté subsequenti enunciamus ænigmate.

Bis duodena locum capiant seclusa seorsum
Corpora, quæ argutum finxerit efficiens.
Spiritus adstantes habeant d' hinc singula quinos.
Queis sit quintuplicem promere posse sonum.
Proind' elementa duo dent consistentia quinque.
Queis solers medio, quæstaque calce dabis.
Quid sit, quid faciat, quid habet, quid suscipit, & quid
Adstet, proponant posita quinque tibi.
Ii sibi perpetuam firment in corpore sedem:
Quos coniurator non queat eiicere.
Interea varias poterunt errare per oras.
Multáque constando millibus esse locis.


A E A E
V
I O V I O
A E A E
B
V V
I O I O

Alb. Quid credis ipsum sibi velle per hoc ænigma?

Bor. Dicam vt possum. Habeas ab inuicem seposita subiecta quatuor & viginti, quæ vniuersa non adiaceant, non inhæreant, non contingant. Sed libera, & solitaria vel situentur vel situata intelligantur.

Tuo ipsa tibi poteris eligere arbitrio, huius tamen esse debent generis B. Arbor. C. Columna. D. Puteus. F. Ara. G. Patibulum. H. Mensa. K. Lectus. L. Statua. M. Tribunal. N. Cathedra. P. Fornax. Q. Focus. R. Incus. S. Archa. T. Saxum. V. Pyramis. X. Horologium. Y. Fouea. Z. Sepulchrum. A. Feretrum. E. Sacrarium. I. Ignis. O. Lapidum cumulus. V. Fons. Quæ quatuor & viginti tibi designent elementa.

Proinde ad constituendas eorum primas combinationes addicas subiectorum dictorum singulis adsistentia quinque, quæ duplici differentia præcedentem vel subsequentem tibi notam demonstrent. Extant quinque cardinales differentiæ. Occidentale, Orientale, Septentrionale, Australe, & Medium. Extant aliæ quinque situales, prostare, flecti, sedere, cubare, iacere. Extant aliæ quinque locales, ante, retro, sursum, deorsum, in medio. Quibus quidem trinis differentiis, subiectum, insigne, & operationem quintuplicare consonando valebis.

Adsistentia quinque, per diuersos actus ad quatuor & viginti differentias multiplicatos elementum sonans atque consonans addere possunt. Qui quidem differentiarum numerus, in diuersis compleatur generibus, vt commode veniat in vsum.

Pro liquidis mediantibus elementis, iis denique & aliis primam combinationem ex duobus videlicet con-

flatam consequentibus, similiter per aliquot differentias prouidebis.

Quibus ita dispositis, determinatis & menti firmiter adfixis: promptè poteris ex mutuatis insigniis, cæterisque olim propriis quascunque combinationes effingere.

Iam vides quemadmodum signa viginti quatuor elementorum, per quinarium deducantur. Quam si consideraueris industriam, in alias plures poteris per temetipsum promoueri.

ALB. Propositum videor satis (ni decipiar) intelligere. Sed rogo te, aliquid expeditius pro cantu Circæo digneris elargiri.

BORISTA. Faciam.

APPLICATIO PRÆGNANS.

Habes in Circæo dialogo primo duas generalissimas formas, alteram quæ cantum, alteram quæ multiplicem cantus includit effectum. Harum alteram ad vnum generalissimum subiectum, alteram veró ad alterum referas.

Secundo in prima formarum generalissima, habes septem deorum ypostases. Et in secunda tria animantium genera. Illa generalia sub generalissimis septem: ista ad generalia sub suo supremo tria referas subiecta.

Tertio habes sub singulis septem ypostaseon, tres terminorum species: quarum duæ sunt incomplexæ, tertia veró complexa est. Habes etiam, sub singulis trium animantium generum, plures infimas pro com-

modo enumeratas species. illæ in specialibus subiectis illorum multiplicentur in trinum. Istæ veró in propriis pariter subiectis deducantur.

Quarto sub trium terminorum speciebus istis & illis ad singulas pertinentia species habens indiuidua, in indiuiduis pariter hæc & illa subiectis situabis.

Itaque generalissima forma generalissimum consequatur subiectum: generalis, generale: specialis, speciale, indiuidualis, indiuiduale. Adeo vt subiectum aliud, aliud includat & contineat. & forma alia aliam includat & contineat: & memoriam facilem non modo cantus Circæi, sed & omnium quæ tibi memoranda proponentur adipisceris.

Alb. Experiar.

FINIS.

INDICE

Avvertenza	pag.	III
1. De Umbris Idearum	»	1
2. Ars Memoriae	»	56
3. Cantus Circaeus.	»	179

